48435/B

E libris Johannis Tagg

PARERGA
MEDICA
CONSCRIPTA

A

DAMIANO SINOPEO

MEDICO ORDINARIO

MARINI NOSOCOMII CRONSTADIENSIS

ANNO MDCCXXXIV.

TYPIS ACADEMIAE SCIENTIARUM
PETROPOLITANAE.

300427

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

AMPLISSIMO

ATQUE

EXCELLENTISSIMO VIRO,

AUGUSTAE IMPERATRICIS RUSSORUM

ARCHIATRO ET PRAESIDI FACULTATIS MEDICAE, DOMINO

DOMINO

JOH. BERNHARDO FISCHERO

DAMIANUS SINOPEUS

MEDICUS ORDINARIUS

MARINI NOSOCOMII CRONSTADIENSIS

D. D.

Libellum hunc ſuperiore anno commiſſum typis, ac interea dilatum prae aliis, commodum nunc excuſum ſub auſpiciis Tuis dedico Tibi, Vir Excellentiſſime, veluti munuſculum quoddam officioſi erga Te animi atque compendium partium mearum anteactarum. Nempe haec defero partim ampliſſimae dignitati Tuae nuperae, partim virtutibus Tuis inter

quas

quas ſplendet multiplex eruditio et vera animi morumque probitas, laudatae ab omnibus qui Te norunt, atque etiam laudandae multum a nobis, quibus praeſides. Quippe quae cum alia multa pollicentur bona, tum confidere nos jubent, quod, Te Praeſide, nec merita ullius fruſtrabuntur praemiis dignis, nec delicta, humana forte imbecillitate commiſſa, ſeverius aequo multabuntur; quin etiam caetera Medicae Curiae munia prudenter et placide

directum iri auguramur. Atque haec omnia hortamento erunt nobis, ut bene animati et navi fungamur officio; imo ut quisque ultra adnitatur ad bona quaeque pro copia praeſtanda, Te Authore. Qui adeo, dum et publico multifariam prodes, et bene privatis conſulis apud omnes audies Optimus Vir et Meritiſſimus Archiater.

Dabam Cronſtadii
Die 4. Febr. 1735.

PRAE-

PRAEFATIO.

L. B. S.

Parerga medica cognominavi tractatum hunc quod ſucceſſivis praxis horis conſcripſerim, inductus variis rationibus; quarum una eſt fides, quam *inclytae* Facultati Medicae Jenenſi *dederam ante quinquennium, quum data mihi ſunt* Privilegia Doctoris, *quae*

prae anguſtia temporis decorare tum non potui ſolenni profectuum ſpecimine publico ſeu diſſertatione augurali. Quippe poſtridie Jena profectus ſum inexſpectatos itineris ſocios nactus. Quo circa promiſi edere aliquando eo nomine qualecunque ſcriptum quo minus exemplum ſuppeteret ſolennium neglectorum, ut humaniter ajebat ſpectatiſſimus Vir Joh. Adolph. Wedelius, *Socer Chriſtiani* Hambergeri, *uterque autem illorum Praeceptor noſter longe meritiſſimus, quos officioſe colo, ut par eſt.*

Altera rationum eaque ſpeciatim deliberata exiſtit, partim certa quatenus licet et compendiaria methodus medendi morbis nautarum ruſſicorum, quorum cura demandata mihi eſt hic loci; par-

partim ſolidum judicium de bona et mala illorum valetudine: ſub quibus omnibus etiam illud intendebam, ut ſcilicet vindicarem animum a deſidia. Enim vero compertum ego habeo ex meditationibus philoſophicis, quas ſtudioſus adhuc Jenae conſcripſi, et nomine meditationum Academicarum de cognitione humana edidi, hujus modi meditamenta non tantum erigere animum, attento veritatum ſcrutinio, verum etiam illuminare ac inſuper judicium quoddam practicum, (quod difficillimum eſt) ipſi ingenerare, miniſtrante materiam quotidiana praxi, in qua ingenia quandoque torpent morborumque obvenientium cauſas, vel obſcure cernunt, vel erroneas ſibi fingunt, ſolis videlicet conſummatis paſſim errectis atque praeſentibus.

His porro ſuffragabatur animus commendandi ſtudia mea excellentiſſimo Archiatro et Praeſidi Facultatis Medicae, D: D: Johanni Chriſtophoro Riegero, quod tanto facilius conſecuturum et ſpero, quanto et aequiorem obſervavi eximium illum Virum medicorum officiis et libentiorem laudandis eorum ſtudiis. Utinam vero laude dignum judicet opuſculum iſtud.

Equidem ego mihi ſpondeo, quod vel ille vel alii cordati viri, ſi non laudaverint, tamen aequi boni conſulent; quoniam hiſtoriam morborum et cadaverum exploratam retuli, cauſas eorum cauſarumque ſucceſſionem dilucide explanavi, nonnulla, ut opinor, protuli nova et multa paucis complexus ſum, in-

inter quae varia ſane occurrunt rara et curioſa. Talia vero cenſeo gelatinoſos cordis polypos ventriculos ejusdem cognomenti infarcientes, corda rigida, craſſa quaſique indurata, eadem villoſa; pericardia cum eo concreta, craſſa, adipe conveſtita; pulmones item frequentiſſime cum pleura, quin crebro cum omnibus pectoris partibus vicinis concreti, ſaepe adipe incruſtati, quandoque indurati jecorum inſtar; jecora et pancreata dura in ſingulis prope cadaveribus, in quibusdam corrupta; lienes ſimiliter iis affecti; ventriculus et inteſtina rigida coarctata, interius atra et ſiderata, ac omnia haec abdominis viſcera plerumque invicem coalita interventu luxurioſae adipis. Omnium autem rariſſimum et, quod ego ſciam, in-

au-

auditum exiſtimo pericardium calculoſa materia interius cruſtatum ſupra dimidium prope digitum, per quam amiſſa flexibili habitudine oſſeum intuenti apparet.

Caeterum horum frequentiora et ordinaria quinque paragraphis complexus ſnm, poſt frequentiores nautarum ruſſicorum morbos, rariora ſingulatim deſcripſi, repetitis carptim frequentioribus, quo vitata intuli congerie rerum ſimilium cum rariora per ſe pauca amplificarem, tum frequentiora illuſtrarem, ac utroque cauſas morborum proximas patefacerem. Quibus dein uberius addidi longinquas ex contemplatione cum ſanae tum morboſae conſtitutionis corporum nautarum ruſſicorum, exhibita ex illis

illis compendiaria ratione potiorum ſingularium, quae occurrunt in morbis et cadaveribus.

His porro ſubjunxi notabiles quadriennii, quo hic dego, conſtitutiones, quarum Verna anni 1731. *prae reliquis ſe commendat varitate ſpecierum, quas decurſu quinque menſium, quibus nempe durauit, prae ſe tulit; quarumque prima eſt febris catarrhalis valde acuta et inflammatoria, quam brevi exceperunt pleuritis vera et peripneumonia, terminatae paulo poſt in rheumatismum, praeuium ſatellitem ardentiſſimae febris mox inſecutae, nec multo poſt mutatae in acutiſſimam pleuritidem ſpuriam, quibus cum a latere inceſſebant graviſſimus ſcorbutus et febris intermittens quoti-*

tidiana, vehementiſſimis paroxyſmis ſtipata: nec ſecundo, ille tertio conſtitutionis curriculo inſurrexiae tandem adulta aeſtate ſimul deſierunt. Deinde recenſui varias obſervationes de ſebribus acutis et cruſtae ſanguinis inſlammatoriae mutationibus, quas ſubire ſolet procedentibus morbis variis, quos hic locorum comitatur juxta anni tempora et dominantes conſtitutiones, ac denique colophonis loco tractavi cruda pulmonum tubercula pleuritidis aemula, quae gemina obſervatione certa ac diuturna illuſtravi.

Sed enim non inficias ibo iſtius modi tractatum exceſſis modum ſpeciminis inguralis, verum etſi modum illius exceſſit, tamen principali inſtituto non deceſſit; ex aliis rationibus non ex animo

im-

implendi promiſſa, ſiquidem his ſatisfeciſſet qualecunque argumentum breviter elaboratum, illae vero contra non aliud quam delectum poſcebant, quod demum ita exactum eſt tempori noſtro convenienter. Dabam Cronſtadii d. 15. Dec.

CAPUT. I.

de

Frequentioribus nautarum ruſſicorum morbis.

§. 1.

INter morbos nautarum ruſſicorum frequentiores primus eſt tuſſis humida et mucoſa; ſecundus à tuſſi eſt aſthma ſimili muco abundans; et tertius phthiſis.

1.) Phthiſin ſive tabem triplicem obſervavi; unam, quae frequentior eſt caeteris, comitatur calor hecticus majusculus, et copioſus mucus glutinoſus, flavus, cui, poſtquam adolevit, acce-

dunt ſudores colliquativi, incrementum caloris, ſitis, ſiccitas linguæ et faucium, ac tandem coagulum et ſuppreſſio muci, quo ſuffocati aegri pereunt.

2.) In altera tabis ſpecie (no. 1), quae merito ſcorbutica cognominanda; aegrorum gingivæ, pālatum ac tota interior ſuperficies oris rubet, potiſſimum vero lingua; ubi malum invaluit, adeo quandoque fiunt teneræ partes iſtæ, ut ne ſyruposquidem acidulos ferre poſſint prae dolore, quem acor illorum parit. Aliquando etiam oritur maxillarum dolor, diverſus à dolore gingivarum, tenue genarum eryſipelas, atque id genus alia. Caeteri iſtius characteres ſunt mediocris calor, item tuſſis, ſitis et ardor faucium, nec non phlegma tenue et acre, atque omnimoda corporis conſumptio, ſpiſſato paulatim phlegmate ſiccataque lingua, quibus finis vitæ imponitur.

4.) Diuturnam tuſſim et aſthma (§ 1.) radicitus ſanare difficillimum eſt; nam tam hoc quam illam communiter excipit phthiſis (no. 1), eamque annuo ad ſummum ſpatio mors: quot quot

enim

enim phthiſicos e noſocomio dimiſſi levatos ac paene ſanatos, iterum vidi aegros, gravius affectos, ac tandem mortuos. Qui autumno ſupervixerunt ineunte vere mortui ſunt, qui ver ſuperarunt, autumno vel ad ſummum redeunte vere interierunt. Item quot quot pus merum evomuerunt aut excrearunt ex vomica vel tuberculis pulmonum ruptis, omnes mortui ſunt, licet optimis mundificantibus et traumaticis tractati fuerint.

§. 2.

Porro primis et frequentibus morbis annumerandi ſunt dolores pectoris varii, nempe acuti, obtuſi, rodentes, atque id genus alii; qui, ſi aliquam diu duraverint, incurabiles ſunt ac poſtremo deſinunt vel in phthiſin, vel in ſubitam mortem, vel denique exaſperati miſere aegros perimunt.

§. 3.

Frequens quoque eſt morbus diarrhoea, quae ut plurimum tormino-

 ſa,

ſa, ſaepe cruenta, lienterica, putris, et ut ita dicam, omnigena, propter omnigena excrementa, quae egeruntur. Diarrhoea ſimplex facile curatur, cruenta, lienterica, putris et omnis alia, quae aliquam diu duraverit, difficillime ac ferme nunquam ſanatur; nam utut curata fuerit, iterum ſuſcitatur, ac tandem in mortem deſinit, vel abſceſſu viſcerum abdominis, vel aſcite, vel gangraena inteſtinorum, quae ſemper adeſt, undecunque morte prognata.

§. 4.

Peculiaris eſt conditio colicae ſcorbuticae, quae cognoscitur torminibus fixis ac diuturnis, adſtrictione alvi cum laxitate eius alternante, et contractione muſculorum abdominis, quae ita quandoque intenditur, ut abdomen penitus retrahatur, ac pene contiguum fiat ſpinae dorſi ſibi obverſae. Aliquoties videre mihi contigit abdomen colicorum tractim extuberare vermicularem in modum, ſtrepentibus interea flatibus; quod provenit à forti contractione ſive

cor-

conſtrictione inteſtinorum iuxta motum periſtalticum propagata, qua nempe conſtricta pars praevia propellit flatus in proximam nondum conſtrictam, qui diſtendendo inpenſe hanc et partem muſculorum abdominis huic incumbentem fingunt in obdomine monticulos tractim currentes. Caeterum ex his patet contractionem, aut ſi mavis, retractionem abdominis provenire à contractione Peritonæi, et hanc à pertinaci conſtrictione inteſtinorum, quorum extima tunica ex eo continuatur.

§. 5.

Affectibus illis abdominis (§. 3, 4.) ſubiungo haemorrhoides internas, quarum praeſentiam evincit merus cruor cum excrementis eiectus, tenesmus et haemorrhoides externae ſaepe cum illis iunctae, quae quandoque ſolae viſuntur, uti qoque tenesmus ex tumore ani interno. Non tantum nautis, ſed etiam claſſicis ſuperioris ordinis haemorrhoides frequentes ſunt. Omnes autem, quotquot vidi haemorrhoidibus

correptos, vix uno alteroque excepto; conqueſti ſunt de variis et diuturnis abdominis gravaminibus, in quorum plerisque tumorem quendam deprehendi in regione hepatis; imo raro quemquam gregariorum claſſicorum haemorrhoidibus correptum video, in quo non palpem abdomen tumidum et durum, quod manante per alvum ſanguine mollescit et detumescit, gravamen illius diminuitur, (ſi tormina ſpaſmodica exceperis), reſpiratio fit liberior et caeterae corporis actiones proſtratae reſuscitantur; ſanguine vero ceſſante idem aegritudinum agmen repullulat intra breve tempus, vti multoties obſervavi et quotidie obſervo.

§. 6.

Ergo ſequitur, quod obſtructiones viſcerum abdominis (ſtatus thoracis infra patebit ex ſectionibus cadaverum) ſint creberrimae nautis ruſſicis, inter quas primaria ac ferme perpetua eſt hepatis et pancreatis, ſecunda lienis et tertia glandularum meſen-

te

terii, quibus ſerius vel ocyus ſuccedit vel hydrops, aſſiduus prope illarum comes, vel abſceſſus, vel tabes vel ſphacelus, niſi levamen interea attulerint haemorrhoides, aut alvi fluxus ſolito maior; quod tamen temporarium eſt, ac morbum ipſum non tollit; qui poſtremo deſinit in aliquod malorum illorum, indeque recta in mortem. Paucos ſane inter millenos novi, quibus manifeſtus abdominis tumor evanuit per copioſum ſputum.

1.) Unum inveni in noſocomio delirum ex febri ardente, cum inde à quatuor annis primum ingrederer noſocomium, cui praeſcriptis vſitatis temperantibus applicata in brachiis duo veſicatoria, quibus ceſſit longum delirium et febris declinare coepit, quae intra quindecim circiter dies à declinatione terminata eſt in hecticam cum tuſſi non uſque ſicca et voce rauca, manſitque in eodem caloris gradu: contra verò tuſſis (alias humida et mediocris) paulatim ſiccata et exaſperata ferina prorſus evaſit, ac una venter in grandem intumuit molem, contabeſcente parte bra-

chiorum, quae veſicatoria ſuſtinuit, donec poſt duos forte menſes confeſtim expectorare coepit phlegma tenax et limpidum, quo per aliquod dies evacuato et hectica evanuit, et venter abſque alia excretione manifeſta detumuit, ſola rauca voce perſiſtente. Nihilominus dimiſi aegrum ex noſocomio et aliquoties interea temporis vidi ſanum et vegetum, praeterquam quod voce adhuc utitur rauca et, ut mihi retulit, tempore frigido et humido ſentit dolorem ſiniſtri brachii et lateris à ſcapula usque ad coſtas ſpurias, prae quo nec brachium facile movere nec reſpirare libere poteſt, cum ante morbum illum et vocem naturaliter ſonoram haberet, et nullum eo in latere dolorem perciperet. Caeterum hic eſt ex paucis unus, qui liberatus eſt ab hectica orta ex febri ardente: plerique enim ita affecti mox fiunt phthiſici et moriuntur (§ 1 no. 4); imo quidam ſub decurſu primariae febris intereunt phthiſici, quod ſaepe conjeci ex copioſo muco glutinoſo et flavo, atque ingenio febris miti in aliis ex ſimili febri aegris.

Poſtre-

Poſtremo hic eſt unicus, in quo contumax raucedo non fuerit praevius phthiſis ſatelles, cum in aliis omnibus eandem ſecum duxerit, ut multoties obſervavi.

2.) Alium nuper tractavi dolore mediocri et evidente tumore hepatis laborantem, qui, alias ſanus et robuſtus ac nondum trigeſimum aetatis annum egreſſus, primum aegrotare coepit ex graviſſimo ictu, quem in regione hepatis perpeſſus eſt ante quinquennium, quemque, uti aiebat, ſecuta paulòpoſt copioſa per alvum excretio ſanguinis levavit, manente obtuſo dolore, qui per intervalla intenditur, ac una tumor gliſcit. Ante tres forte menſes aeger dictis ex cauſis copioſum per tuſſim expectorabat phlegma purulentum, ſubatrum, commiſtum cruore, quo per aliquot dies evacuato dolor et tumor tantillum ceſſit; deinde vero ſecutae haemorrhoides utrumque pene ſolverunt, ceſſante ſimul phlegmate. Dimiſſus tum é noſocomio, iam ſanus, non ita pridem rediit eodem modo affectus, niſi quod phlegma purulentum magis atrum

et copioſius uberiori cum ſanguine exſpuebat, quo itidem aliquamdiu evacuato levatus eſt aeque ac prius, ſed citra fluxum haemorrhoidum, quamvis iisdem uſus eſſet medicaminibus. Caeterum ſedulo percontatus ſum aegrum, an pectore doleret aut gravaretur, ſed negavit ſe quidquam mali in pectore ſentire, praeter moleſtiam tuſſis.

3.) Aliquot adhuc novi gravatos tumore et dolore abdominis, quibus interdum ſuboritur ſputum cruentum, quo tempore dolor in regione hepatis aut lienis creſcit, decreſcente tumore, qui finito ſputo iterum creſcit, dolore in priſtinum modum retuſo.

§. 7.

Porro ex praecedentibus (§. 6.) ſequitur hydropem eſſe é cenſu frequentium morborum, quibus nautae ruſſici conflictantur. Triplex autem exiſtit, aſcites, ſub quo etiam comprehendo hydropem pectoris, et duplex anaſarca, altera nempe communis, altera ſcorbutica. Anaſarca communis raro reperitur

ſine

ſine aſcite, et, ſi ſolitaria fuerit, brevi terminatur in eum, atque is ſerius ocyus in mortem: quamvis enim nonnulli aliquandiu aſcitici vivant, tamen vltimo aqua oppreſſi moriuntur, nullo, quod ſciam, excepto. Omnibus autem aſciticis, ingraveſcente morbo, abdomen enormiter tumet, indureſcit et rubet, prae nimia copia aquae in cavum illius effuſae, item ſcrotum, penis, femora et omnes artus inferiores iuxta afficiuntur; inprimis penis prae tumore torquetur, chorda et ligamento proportionaliter non diſtenſis, atque tam hic quam ſcrotum (quod valde craſſeſcit,) madent humore acri, ex quo corroſa cuticula denudatur cutis, oriturque pruriginoſus partium illarum et femorum (quae itidem excoriantur) ardor et lurida foeditas. Adhaec rubedo linguae intenſa, phlogoſis in partibus tumentibus atque rubentibus, et variae maculae ſcorbuticae, quibus omnibus tandem ſuccedit mors.

1.) Paracenteſin continuo excipit nova copia aquae, eamquae vt plurimum

mum mors; quotquot enim eam ſuſtinuerunt propter hydropem abdominis aut pectoris omnes mortui ſunt, plerique poſt primam, pauci poſt ſecundam, unus poſt quintam. Propterea ingraveſcente morbo potius inſtituo puncturam ſcroti vel penis, quam paraecenteſim, niſi hanc aeger, nimia mole aquae oppreſſus, efflagitaverit, quam humanitatis ergo concedo, ac interdum ipſe ſuadeo miſereſcens ſortis illorum. Punctura ſcroti vel penis nonnulli ad tempus levantur, ſtillante inde copioſo ſero. Quae tum inſtituenda, cum partes illae tument atquae cum nitore quodam albicant citra phlegmonodem ulcerationem, quae gangraenae proxima, eſt in eamque communiter deſinit. Sic etiam diarrhoea aquoſa temporarium affert ſolamen; pauci enim per illam redeunt ad mediocrem aſcites ſtatum, plerique contabeſcunt, ac tandem aſcitici ſimul et phthiſici moriuntur.

2.) Anaſarca ſcorbutica (§ 7.) communiter incipit à celeri et eryſipelatode muſculorum abdominis, quocum plerum-

rumque iungitur ſimilis femorum et pedum tumor. Aliquando incipit ex iſtiusmodi pedum tumore, citoque ſerpit ad femora, ſcrotum et muſculos abdominis, indeque ad pectus et caput, maxime quando muſculi abdominis et partes inferiores ſimul tumere incipiunt, valdeque rubent. Porro abdomen et reliquae partes tumentes adeo durae ſunt in hac anaſarca, ut digito prementi non cedant, hinc nec veſtigium illius ſive foveam ſervant. Pectus et abdomen ut plurimum defoedatur maculis ſcorbuticis, lividis, vel rubentibus variae magnitudinis, fauces prae ardore exareſcunt, labia et lingua rubent, flavedo quaedam in albumine oculorum aut, ſi malum acutius, rubedo viſitur, alvus ſegnis, multi flatus, urina parca, prorſus craſſa et lateritia. Horum pleraquae ingraveſcente malo ac iam ad vitae finem appropinquante (lethale enim eſt) quibusdam aegrorum intenduntur, ac in unum quaſi eryſipelas totius corporis confluunt, ubi tum malum acutum eſt citoque interimit aegros: quibus dam lente increſcunt,

ſuc-

ſuccedente interea aſcite cum ictero vel flavo vel nigro.

3.) Anaſarca iſta eryſipelatode (no. 2) nonnullos interiiſſe vidi, inter quos maxime affectus eſt egregius noſocomii noſtri chirurgus primarius, qui intra ſedecim dies ab invaſione lethargicus obiit. Huic, qui natura obeſus et phlegmaticus erat, ab aliquot annis intumeſcebant pedes et venter quolibet verno tempore, qui demum detumeſcebant dimidiata aeſtate. Poſt mortem adeo intumuit venter, ut vix defunctum caperet ampliſſimus ſarcophagus. Intruſa ventri cannula, poſt mortem ſcilicet, nec aqua nec flatus erupit, praeter aliquot guttas ſeri, quae, extracta cannula, exſtillarunt ex vulnere ceu portio aquae intercutis, ſive cuti et muſculis proxime illi ſubiectis interfuſae, ex qua tumor univerſalis. Quotquot anaſarca ſcorbutica defunctos aperui, omnibus inteſtina erant enormiter à flatibus diſtenſa, et mitior aqua paucis inerat, eaque modica inter anfractus inteſtinorum fluctuabat. Craſſitudo abdominis ſive muſculorum

rum abdomen formantium, quibusdam duos, quibusdam tres ferme digitos aequabat. Ubi notandum renitenti abdominis tumori multum conferre inteſtina à flatibus diſtenſa, ex quibus ventriculus quoque aliquando inflatur, quod non tantum ipſi anaſarcae ſed etiam aſciti incipienti ſolenne eſt, qui, ſi flatus praevaleant aquae, hoc eſt, ſi aqua non multa effuſa ſit in cavitate abdominis, flatus vero copioſi diſtendant inteſtina atque abdomen, tympanites dici meretur.

§. 8.

Scorbutus eſt endemius et creber cronſtadii morbus; nam et quolibet viſitur tempore et quoslibet ferme invadit, inprimis vero nautas et alios, qui vel intemperate vivunt, vel qualecunque gerunt ſeminium venereum, praeſertim autem cum ipſi favet conſtitutio anni. Frequens et vehemens eſt ineunte vere, rarus et mitior reliquo tempore, niſi id fuerit humidum et frigidum; ſic etiam aliis annis frequentior et vehementior, aliis rarior & mitior eſt. Ordinaria

ſcor-

ſcorbuti apud nos frequentis phaenomena ſunt cadaveroſus gingivarum tumor, defectus virium torpore et laſſitudine totius corporis manifeſtus, dolor et debilitas crurum notabilis, tumor pedum et genuum, contractio tendinum, habitus corporis ex flavo luridus, cachecticus quaſique anaſarcodes, purpura livida vel fuſca, item ſcabies, alvus ſegnis, vrina craſſa et lateritia; his ſubinde accedunt dolores et contractiones artuum ſuperiorum, maculae lividae variae magnitudinis, dolores ſcapularum et lumborum fixi, atque id genus alia, quae maxime accidunt corporibus infectis contagione venerea. Caeterum ex ſcorbuto plerique revaleſcunt, pauci moriuntur, quorum alii primum contabeſcunt, alii fiunt aſcitici, praeſertim vero illi, qui nimium à ſcorbuto intumeſcunt.

§. 9.

Proſapies ſcorbuti ſunt communes novitiorum morbi, quorum primus atque praecipuus conſiſtit in doloribus ventris obtuſis, iunctis vt plurimum cum

cum diarrhoea, quos, ſi diutius duraverint, communiter ſequitur languor totius corporis et lenta tabes; ſecundus eſt diarrhoea et tertius ſepulti dolores pectoris, qui non ita frequentes ſunt, ut priores, ſaepeque cum illis iunguntur. Omnes autem iſtos morbos et alios qualeſcunque communiter excipit purpura vel ſcabies ſcorbutica, per quam multi revaleſcunt. Quod ſi neutra ubertim effloruerit, ſequitur lenta mors, conſumpto penitus corpore.

§. 10.

Neque luem veneream et gonorrhoeam, communem ſane militari per Europam coelibatui, exceperim à frequentioribus nautarum ruſticorum morbis, quarum illa curatu difficillima eſt, cum ob copiam et ſpiſſitudinem materiae purulentae, tum ob ſordida et pervicacia ulcera; illa, nempe lues venerea, niſi recentiſſima, aegre radicitus ſanatur, praeſertim vero, ſi occupaverit ligamenta, articulos, oſſa, fauces, glandulas atque id genus alias partes, ex

quibus nunquam eradicatur; nam ut ut curata fuerit, tamen ſerius ocyus revireſcit. Cummuniter autem caput extollit ineunte vere, quo tempore et ſcorbutus graſſatur (§. 8.), à quo reſuſcitari videtur, et animalium natura turget quaſique revireſcit.

1.) Nauta quidam virilis aetatis aeger ex lue venerea ſex continuos annos haeſit in noſocomio, aliquoties interea temporis ſalivatione uſus: eum ego inveni macilentum et languidum, ſed nullis veneris ſignis notatum, niſi tophis tibiarum et doloribus totius ferme corporis. Tophorum duo erant, in una quaque tibia unus, ambo inſtar ovi columbini eminebant, dolores interdiu miteſcebant, noctu exasperabantur, item ſereno tempore remiſſiores, nubilo intentiores, at nullo adeo atroces et ſaevi, quam verno; tum enim cum ſaevitia dolorum ſimul cooriebatur praegrandis tonſillarum tumor, univerſa oris interior ſuperficies profundis ulceribus aphthoſis denſe obſidebatur, uvula ſimiliter ulceroſa et laxa, item gingivae lax-

laxabantur inſtar fungi putridi, nigreſcebant atque ſupra pollicem poene tumebant, hinc inde aphthis foedatae, et languor augebatur ſummo cum aegri angore. Varia primum tentavi remedia, ſed omnia malum eluſit, praeter Mercurium, quo unice retundebatur. Anno 1730. unica ſalivatio levavit aegrum, ſolutis una tophis, qui nunquam poſtea redierunt. Nihilominus languor et dolores ſoliti manſerunt eo in gradu, in quo antea fuerunt. Anno 1731. circa vernum tempus ſimiliter recruduit malum ſeu potius agmen malorum, ex quibus aegre liberatus eſt gemina ſalivatione. Anno 1732. adeo vehemens fuit vernus recurſus, ut trina ſalivatio vix ſuffecœrit eripere aegrum ex faucibus mortis. Quomodo duobus prioribus annis eum tractaverim, non recordor; ſuperiore ptyalismum exorſus ſum à duobus granis Mercurii, omiſſo emetico et purgante, quae alias ptyalismum ſubituris praeſcribere ſoleo; doſin Mercurii quotidie auxi grano uno atque altero pro ſtatu aegri. Quinto

 ab-

abuſuMercurii die intumeſcere coeperunt lingua, buccae et labia cum incremento tumoris praevii faucium et gingivarum, apparente mox ſaliva ſpiſſa, quam, nondum debitum fluxum nactam, circa nonum forte diem cohibere coactus eram, quod et vires aegri nimium proſternerentur et ſpiritus ferme praecluderetur ex tumore faucium. Id autem efficiebam clyſteribus ex decocto laxativo, quos unicum cenſebam remedium, quia nec vires nec intercluſa poene ad ventriculum via laxans admittebat. Ulceroſis faucibus proſpexi gargariſmate ex radice Liquirit: Dauc: et flor: Sambuc: Pro cibo praeſcripſi Lac, pro potu decoctumLignorum miſtum cum pectorali, quibus cum hanc adiunxi mixt: R. Eſſent: Enul: Spirit: Theriacal: ana drachm. Spirit: Tart. gtt. X. M. pro duabus doſibus, cui aliquando ſubſtitui Eſſent: Croci mixtam cum. Panac: Tartarea. Poſt quintum diem, ſubſiſtente ſaliva, clyſteres omiſi, quorum ſingulas iniectiones ſequebantur binae vel ternae alvi eiectiones citra diſpendium virium. Caeteris remediis

per

per viginti dies continuatis, aeger aliquantum refocillabatur, manente maximam partem tabo gingivarum et ulceratione faucium. Propterea ad ſecundam et tertiam deveni ſalivationem, quas iterum cohibere opus erat propter eadem ſymptomata. Interim non amplius exhibui Mercurium, quia refecto à tertia ſalivatione aegro, obſervavi tumorem faucium multum eſſe diminutum et ulcerationem mundatam, quae commoda incidebant in principium aeſtatis, quo tempore ſcorbutus conquieſcere ſuevit. Propterea ſolis remediis illis continuatis, interpoſito per intervalla laxante, priſtinum valetudinis ſtatum aeger recuperavit et autumno, ceu emeritus, é claſſi dimisſus eſt.

2.) Porro multos adhuc novi quolibet verno tempore ad eum ferme modum (no. 1.) affectos ex contagio venereo revireſcente, quod una vel altera ſalivatione victum deliteſcit usque ad novum ver, quo tempore iterum caput extollit, donec rurſus deprimatur. Imo frequenti experientia compertum

 ha-

habeo quolibet verno tempore contagium venereum reviviſcere ad modum ſcorbuti, qui illud reſuſcitare videtur: ſic anno 1730. paucos habui aegros ex ſeminio venereo, cui levis ptyalismus ſufſecit; anno vero 1731. multos ac peius ſe habentes, quibus non multum profuit uſus Mercurii, ſuperiori autem plures et longe peſſime affectos perexiguo cum commodo ptyalismi, qui eo anno in univerſum male ceſſit per ſcorbutum, à quo continenter excipiebatur: quotquot enim ptyalismum ſubierunt, ſive cauſa luis antiquae repullulantis, ſive recens contractae, omnes propemodum, finito ptyalismo, invaſit ſcorbutus horrendo cum tabo gingivarum, tumore ac vibicibus artuum, purpura vel ſcabie ſcorbutica atque aliis talibus ſcorbuti notis, quibus uſu medicaminum antiſcorbuticorum cedentibus ſuccedebat acrius lues, cuius veſtigia vigente ſcorbuto in quibusdam nulla cernebantur, in quibusdam varia et horrenda, quorum unus adhuc haeret in noſocomio, amiſſo tum ſepto narium, qui

qui itidem hoc anno ſcorbuto vexatus, ineunte vere, ſed mitius, ut quoque alii contagione venerea infecti, quibus melius ceſſit ptyalismus, quam duobus annis ſuperioribus, quatenus ſcilicet ſcorbutus mitis non usque ſe immiſcuit lui.

§. 11.

Morbi externi ex vitio humorum dependentes varii atque multiplices ſunt, quorum praecipuos cenſeo tumores forinſecus patentes ſive oedemata, apoſtemata, eryſipelata, et ulcera varia, ut herpetica, oedematoſa, cancroſa atque id genus alia. Oedemata difficillime curantur, curataque repullulant. Apoſte mata ut plurimum praegrandia ſunt magnamque fundunt copiam puris viſcoſi, quae mundata et ſolidata, ut decet, ſubinde poſt ſe trahunt citam mortem, ſuborta levi febricula, ut multoties obſervavi. Eryſipelata communiter ampla eſſe ſolent ac interdum acerrima, quandoque etiam ſuppurantur. Ulcera cancroſa ut ubique terrarum, ita hic loci in

incurabilia ſunt. Caetera ut ut curata fuerint, ut plurimum tamen recrudeſcunt, vel eodem in loco, quem ante occuparunt vel prope eundem. Sic etiam carioſa et ipſa caries oſſium ex vitio humorum orta non curantur, ut pote quae curata iterum ſuccreſcunt, ac ſi membrum carioſum amputetur, in alia corporis parte renaſcuntur.

Caput II.

Selectiores obſervationes collectae crebra cadaverum ſectione.

§. 12.

ENarratis ſimpliciter frequentioribus nautarum ruſſicorum morbis (§. 11.) reſtat ut in medium producam obſervationes quasdam collectas ex iisdem nautis defunctis, quo ex illis, ceu cauſis, cum frequentia recenſitorum morbo-

borum innoteſcat altius, tum doctrinae deinceps concinandae argumenta ſuppetant. Primum autem narrabo ſummatim communiſſimas multorum cadaverum affectiones veluti obſervationes quasdam generales, quas in uno quoque illorum obſervavi, quoties animum attendi, quaeque deinceps partim illuſtrabuntur à ſelectioribus, quas ſingulatim recenſebo, partim easdem amplificabunt, ut omnes alias comprehendant, quas congerere poſſem, ſi operae pretium eſſet.

1.) Communiſſima vero affectio cadaverum à me apertorum, (quae amplius centum ſunt), eſt concretio pulmonum cum partibus vicinis, maxime vero cum pleura, quacum in quibusdam toti pulmones coaleſcunt, ne minimo quidem ſpatio inter hos et illam relicto; in aliis vel alteruter tantum lobus vel aliqua pars utriusque, item in nonnullis, alias liberi, hinc inde connectuntur cum pleura per membranoſa lingamenta, fortiter utrisque adnata, quae duos vel tres digitos longa, ac plerumque multi-

plicia ſunt in uno quoque concretionis loco. Talia in immediata concretione non obſervavi, bene vero loco illorum multas lamellas tenuiſſimas ac prorſus ſanguine privas, pulmonibus et pleurae continuas, quaſi ex communi quadam membrana intermedia divulſas, quae in qualibet fortiori concretione viſuntur. Adeo vero quandoque fortis eſt, ut ferme ſimplici manuum vi ſolvi non poſſit, ſed opus ſit cultro. Generatim autem ſpectata concretio haec frequentior eſt in ſiniſtra thoracis cavitate, quam in dextra, uti quoque hydrops pectoris, qui raro utramque occupat, plerumque alterutram, eamque ſiniſtram: ubi tum, utramlibet occupaverit, concretio, ſi adeſt, modica eſſe ſolet in antica pectoris parte, reliqua libera, quippe quae per univerſum thoracis ambitum quandoque extenditur, ut principio dixi; quo fit ut etiam ſaepe concreſcant pulmones cum diaphragmate, mediaſtino, et in ſiniſtra cavitate cum pericardio, atque cum illo ſaepius ac ferme ſub qualibet fortiori cum pleura con-

concretione, praeſertim in ſiniſtra cavitate; cum his comparare rarius. Cum uno quoque autem coaleſcunt, praeeunte cum pleura concretione, quae tum maxima eſt, raraque exiſtit ſine gravioribus pericardii et cordis malis, ex quibus frequentem eorum concretionem commemoraſſe hic loci ſuffecerit. Adhaec ſub qualibet plumonum cum partibus vicinis concretione lobi eorum inter ſe coaleſcunt, quaſique unus fiunt, nusquam diſcrimine apparenti. Quae tamen concretio non ita fortis eſt ut quidem prior, quae quandoque veluti aponeuroſis quaedam eſt, eo quod omnes partes praeter naturam coaleſcentes communiter craſſeſcunt et obrigeſcunt in loco concretionis.

2.) Enim vero non tantum viſcera thoracis (no. 1.) ſed etiam abdominis inter ſe coaleſcunt: ita lien ſaepe adnaſcitur diaphragmati per totam ſui longitudinem: unde aliquoties recordor me vidiſſe exremum lienis ſuperius valide adhaeſisſe diaphragmati, ac per hoc quaſi extremo ſiniſtri pulmonum lobi,

quod

quod ſimiliter adhaerebat diaphragmati é regione oppoſita (no. 2.), aponeuroſi per diaphragma continuata. Interdum quoque diaphragma concreſcit cum tota poſtica hepatis parte et aliqua ſuperna, et haec aliquando cum muſculis abdominis, atque nunquam ferme non cum hepate pancreas et inteſtinum duodenum; quae tria ultima adeo plerumque inter ſe concreſcunt et indureſcunt, ut nullo modo citra cultrum et lacerationem ſeparari poſſint. Quin etiam ſaepe vidi ventriculum coaluiſſe fundo ſuo cum inteſtino colo, lateribus cum hepate et liene, ubique intercedente luxurioſa adipe. Duplicatura omenti in pauciſſimis cadaveribus reperitur, in plurimis aboleſcit, coalitis invicem lamellis eius, qua ex concretione oritur concretio coli cum fundo ventriculi; item aliquoties vidi anfractus inteſtinorum inter ſe coalitos interventu luxurioſae adipis. Spectat denique huc proceſſus vermiformis, quem bis tantum liberum, alias vero concretum cum inteſtino caeco et aliquan-

quando cum portione muſculorum abdominis.

§. 13.

Inſolita illa viſcerum concretio (§ 12. n. 1. 2.) non poterat non praecedere vel ſequi morboſum quempiam illorum ſtatum: hinc ut ſingula in cadaveribus obſervavi, paucis referam. Pulmones quidem in corporibus ſponte natura mortuis nunquam ſani ac bene colorati viſuntur, ſed ſemper lividi, atque vel inſolito modo corpulenti, vel marcidi ſimul et lubrici, vel tuberculis conſiti, vel ſiderati, vel denique prorſus corrupti: quin aliquoties ſcirrho affectos ſeu induratos, ac una rigida adipe, veluti ſteatomate, obductos conſpexi, quae vitia rarioribus annumero.

§. 14.

Ex recenſitis pulmonum vitiis (§. 13.) duo frequenter animadverti in reliquis thoracis partibus, quibus cum illi concreſcunt (§. 11. n. 1.), nempe rigiditatem cum variante craſſitie et ſidera-

ra-

rationem ex inflammatione praevia; quarum illam pro effectu iudico concretionis (§. 12. n. 1), quae prava quaedam eſt nutritio: haec propagari videtur ex pulmonibus primitùs inflammatis et ſideratis; quia nunquam poene vidi partes illas inflammatas vel ſideratas, quin una pulmones ſimiliter eſſent affecti acteque cum ilis concreti; contra vero ſaepiſſime pulmones labefactos deprehendi, partibus illis vel illaeſis vel ſuperficietenus de labe illorum participantibus in loco concretionis, quod manifeſte indicat vicia illa propagari ex pulmonibus; ea vero ſaepius obſervavi in diaphragmate et aliquoties iu pericardio antea incraſſato, nec non in ſúmma mediaſtini parte, quam in reliqua eiusdem et pleùra.

§. 15.

Neque cor vacat à contumacibus affectibus, ut pote quod rariſſime vidi polypo non habitatum, aliquoties villoſum, item rigida adipe obductum, ac ſaepe vel flaccidum et molle, vel rigidum

dum et corporatius: potiſſimum vero craſſeſcit et obrigeſcit paries ventriculi ſiniſtri, lacertuli eius una cum valvulis et ſeptum transverſum, magnitudine totius cordis modo aucta, modo diminuta, quo fit ut valde coanguſtetur cavitas eius ventriculi et vix admittat dimidium ſanguinis, quem dexter capit, cuius paries admodum tenuis eſt. Sed longe magis quandoque coanguſtantur auriculae cordis, praeſertim vero ſiniſtra, tota eius ſubſtantia valde attenuata et rigida: Quod ad pericardium attinet, illud ſaepe concreſcit cum corde, quem admodum ſupradictum eſt (§. 12. n. 1.): ut plurimum etiam vel molleſcit et attenuatur ad modum cordis, vel craſſeſcit et obrigeſcit, ac una cum illo obducitur adventitia quadam ſubſtantia vel carneo fungoſa, vel adipoſa, aut ſimul utraque, ut aliquoties obſervavi.

§. 16.

Omnes polypi cordis (§. 15.), quotquot vidi et ſaepe video, ex tribus conſtant partibus; una eſt maſſa quaequae

dam colore pinguedinis, conſiſtentia gelatinae tenacioris ſimilis, quae aliquando tenui conveſtitur tunica; altera fibroſa, et tertia cruor: prima reſidet vel in ventriculis vel in auriculis, vel ſimul in utrisque, quippe quae ita quandoque luxuriat, ut una eademque infarciat tam ventriculum quam auriculam homologam, ac plerosque utriusque ſulcos ad modum cerae liquatae infuſaeque typo cuniculoſo. Ex hac propagatur in vaſa ſanguinea altera fibroſa ſive pedunculi variae longitudinis ac mediocris craſſitiei, quibus adhaeret cruor. Gelatinoſa illa maſſa prunis iniecta uritur inſtar pinguedinis fumumque emittit qualem illa, hoc eſt, tetrum et capiti gravem: in aqua decocta indureſcit et aſſimilatur vitello ovi longa coctione indurato; ſimiliter indureſcit ex ſpiritu vini, ſi per aliquod dies in eo contineatur.

§. 17.

Thoraci peſſime affecto (§. 13-16.) exacte reſpondet abdomen depravatione

ter

viſcerum, quae continet, ſiquidem praeter renes, quos raro vidi morboſos, caetera omnia aliqua ſemper labe affecta conſpexi, praeſertim vero hepar et pancreas, quae in ſingulis prope cadaveribus morboſiſſima ſunt, bili ut plurimum fuſca, tenaci et ſpiſſa inſtar picis liquidae. Ordinarius autem utriusque morbus eſt ſcirrhus, quem interdum circa vitae finem excipit in hepate vel ſuppuratio vel ſideratio, in pancreate putris quaedam corruptio, utrobique praevia lenta inflammatione: quae tamen manifeſtior eſt in hepate, quam in pancrate, quod ſaepe pertenue ac putre apparet inſtar omenti, cui propria ac ferme perpetua eſt putris corruptio citra manifeſtam inflammationem, prae qua digitis prehenſum facillime diſcerpitur, imo ſaepe plus minus corruptum reperitur. Lienem quoque raro naturalem, ſaepe vel flaccidum, vel induratum, vel ſideratum obſervavi. Sic etiam meſenterium glandulasque eius frequenter inveni morboſas. Solenne autem glandularum meſenterii vitium eſt induratio et, quae

hanc quandoque ſequitur, inflammatio et ſideratio; meſenterii vero incraſſatio, rigiditas atque ſteatoſis, quarum haec rarior eſt, illae longe frequentiores communesque cum omnibus abdominis viſceribus membranoſis, qualia ſunt ventriculus, inteſtina, veſica fellea et urinaria, quae plerumque incraſſata et rigida deprehendi in corporibus morbo qualitercumque longo defunctis. Debetur autem incraſſatio et rigiditas illa partim depravationi cuidam ipſarum partium, partim contractioni ſive, quae ſpecies eſt contractionis, coarctationi, quae ſaepiſſime cum illa iungitur, afficitque integre ventriculum, veſicam felleam et urinariam, inteſtina vero partite, prae caeteris autem colon, et quidem ſaepiſſime partem eius intra flexuras, quam in ſingulis prope cadaveribus hinc inde coarctatam vidi, et, quod amplius eſt, in portionibus coarctatis atratam inſtar carbonum, qui ſphacelus etiam in aliorum inteſtinorum portionibus coarctatis communiter praeſto eſt. Tanta vero quandoque eſt coarctatio illa,

la, ut meatus inteſtinorum modo non penitus ſit clauſus, parietibus impenſe rigidis. In qualibet autem parte ſiderata nigredo potiſſimum occupat tunicas interiores, nempe nerveam (ſub qua comprehendo et villoſam, quaeque prae reliquis nigra viſitur), atque carnoſam, rariſſime afficit extimam ſeu membranoſam, etſi per illam appareat: quod indicio eſt ſpacelum iſtum, quem ſcorbuticum appellare licet, inchoare ex nervea terminarique in carnoſa, cum ordinarius, qui ſubinde oritur vel ex frigido potu, vel ex inflammatione ceu morbo primario, vel ex alia quadam conſimili prioribus cauſa, omnes tunicas iuxta afficiat reddatque molles et flaccidas: quandoque tamen hic miſcetur cum illo, ita ut partes quaedam inteſtinorum ſint molles, flaccidæ atque per omnes tunicas fuſcae ſeu ex rubro nigricantes, aliae vero contractae, craſſae, rigidae, interius atratae, exterius naturaliter albicantes. Caeterum ordinarius ſphacelus cum ventriculo tum inteſtinis accidit, quamquam illi rarius, his

his ſaepius, inprimis vero tenuibus. Scorbutus ſola afficit inteſtina, ventriculo, quod ſciam, intacto, quamvis aeque ſaepe hunc viderim anguſtum, oblongum et valde contractum nec, non rugis interius abundantem, quae in ventriculis non contractis ſaepe deſiderantur ſeu abolitae ſunt. Poſtremo et hoc annotabo, quod cum inteſtina ſint praeter naturam incraſſata et rigida; etiam pinguedo illorum plerumque craſſa, rigida et luxurians reperiatur, ſed nunquam ſiderata.

§. 18.

Abſolutis generalibus obſervationibus (§. 12-17.) ordo inducit ſingulares, in titulo huius capitis promiſſas, in quibus omnibus omnes illae occurrent, et procul dubio in unaquaque prope occuriſſent, ſi in quolibet cadaverum, ex quibus ſingulares collegi, in ſingula viſcera attendiſſem, ſtatimque annotaſſem eorum affectus. Interim prudens lector ex potioribus, quae in una quaque re-

cen-

cenſeo, conjicere poterit caetera praetermiſſa ſeu ſtatum viſcerum ſilentio praeteritum, cuius ipſe non memini: quo ipſo et generales abunde illuſtrabuntur et ſingulares amplificabuntur iuxta finem mihi praefixum, propter quem conſcripſi generales, veluti compendium quoddam omnium.

§. 19.

Nauta quidam conſiſtentis aetatis, ventroſus ex obſtructione hepatis decumbebat in noſocomio duos forte annos, cui inter alia incommoda, quibus aggravabatur, pectus valde opprimebatur, et pulſus arteriarum erat permagnus ac nimium durus, ita quidem ut non tantum in carpis talis perciperetur, ſed etiam in collo cerneretur fortiter ſalire, qui ex phlebotomia, quae aliquoties inſtituta propter nimiam pectoris oppreſſionem, aliquantum minuebatur. Sanguis é vena miſſus craſſisſimam et glutinoſisſimam prae ſe ferebat cruſtam gelatinoſam, quae alias cognominari ſuevit inflammatoria, etſi nulla adfuerint

rint ſigna febris ardentis, aut inflammationis. Mortuo tandem aegro aperui cadaver, in quo hepar erat valde induratum et grande, extremo eius quatuor circiter digitos infra umbilicum pendente. Porro in eodem cadavere deprehendi utriusque cordis ventriculum ita infarctum polypo per omnes ſulcos et lacertorum ſpatia, ut vix quisque caperet unciam ſemis ſanguinis: ex uno quoque polypo brevis et tenuis porrigebatur pedunculus in vaſa ſanguinea.

1.) Unum adhuc exempulm polypi referam hic loci de induſtria, plura infra occurrent: novitius nauta, iuvenis et natura robuſtus correptus eſt modica febri cum pulſu parvo et frequenti totius corporis horrore; cui praeterea abdomen tumidum et durum, habitus corporis cachecticus ac purpura ſcorbutica defoedatus, pectus nimium dolens, oppreſſa prope reſpiratione, et alvus à ſexto die, ut aiebat, obſtructa, quae clyſteribus aliquoties ad hibitis ſolvebatur. Nihilominus caetera intendebantur, praeſertim vero horror atque oppreſſio

preſſio pectoris, quibus biduo poſt quam in noſocomium adductus, interiit. Aperto cadavere muſculi abdominis apparuerunt duos circiter digitos craſſi ex aqua intercute, quae applicato cultro exſtillabat, qualis etiam parva quantitas fluctuabat inter anfractus inteſtinorum. Omentum corruptum, ventriculus enormiter à flatibus expanſus, inteſtina alibi ſumme inflata, inprimis vero pars coli à caeco usque in ſiniſtram flexuram, alibi coarctata et interius atra, maxime autem reliqua pars coli usque in rectum, atque omnia plus minus incraſſata et rigida. Meſenterium inflammatum, in quo paſſim cernebantur vaſa ſanguinea turgida et ſanguine plena. Porro hepatis lobus dexter ſideratus facillime diffluebat, ſiniſter parum alteratus. Veſica fellea parva, craſſa et rigida, plena bili ſubatra inſtar picis liquidae, craſſa atque tenaci. Utraque thoracis cavitas ſemiplena aqua loturae carnium ſimili, in qua natabant pulmones, liberi quidem iuxta naturam, ſed turgidi, corpulenti ac obſcure rubentes ſeu pauxillum

inflammati, quibus manu compreſſis ſimilis aqua ſpumoſa per os egurgitabat, qualis et à fruſtulo illorum deinde ſecto exſpumabat. Cor magnum et durius culum, cuius vaſa coronaria aeque turgebant ſanguine atque illa meſenterii: auriculam dextram, quae capaciſſima erat, et ventriculum eiusdem cognomenti adeo infarciebat polypus utrique communis ſive unus, ut vix tantillum ſanguinis caperent, ſeu per exiguum ſane ſpatium à polypo vacaret: ventriculus ſiniſter fere plenus cruore atro et parvo polypo habitatus, auricula ſiniſtra vacua.

§. 20.

Claſſicus miles, quadragenario proximus, laborabat diarrhoea putri cum obtuſo dolore hypochondrii dextri, qui, diarrhoea paulatim ceſſante, aliquantum increvit, ſuborta interea febricula lenta, corpore tabeſcente. Ex quibus poſt menſem in noſocomio exactum interiit. Aperto abdomine inveni cavum illius ſemiplenum aqua, confuſa

cum

cum multo pure, quod effluxit ex hepate, maximam partem ſuppurato; nam, praeter tenuem ambitum parenchymatis, per quem pus hinc inde internitebat, reliquum totum converſum erat in craſſisſimum pus, maxime vero dexter lobus: ſiniſtri enim pars ventriculo vicina ſiderata, non ſuppurata erat, quae ideo manu prehenſa diffluebat. Similiter pancreas totum corruptum et maximam partem conſumtum. At pectus diverſa ab his continebat: nam cor incraſſatum et rigidum, valvulis ſemilunaribus, quae arteriae magnæ adiacent, ſupra modum craſſis ac mere cartilagineis: eo autem in ſitu ocalluerunt, quo eſſe ſolent in diaſtole cordis, id eſt, remotae à parietibus eius, quibus in ſystole applicantur; praeter quam quod limbi illarum tantum circiter à ſe invicem diſtarent, ſpatiumque liberum inter ſe relinquerent, quantum quisque à pariete cordis ſibi vicino. Arteria magna, praeter craſſitiem ac duritiem quandam inſolitam, nihil morboſi habebat.

 1.) Ali-

1.) Alium aperui iuvenem mortuum ex febri ardente, in quo ventriculus et inteſtina erant naturaliter pene conſtituta, hepar magnum ac paulo durum, ſed pancreas pertenue ac nimis quam par eſt, induratum. Lien luxurioſus, cuius quippe limbo ſuperiori alius quaſi accrevit quadratus, ultra dimidiam eius longitudinem porrectus, et tertius figura et magnitudine ſimilis ovo gallinaceo, qui tenui petiolo pendebat ex eodem limbo intra extrema inferiora adventitii et veri lienis: limbus extremi inferioris veri et totus adventitii hinc inde fiſſus et hiulcus, omnes autem eiusdem ſubſtantiae et communi tunica inveſtiti, ſed iam ſiderati. Pulmones circa dorſum inflammati multisque in locis connexi cum pleura per membranoſa ligamenta, quae alias bene ſe habebat. Cor grande rigidaque adipe contectum, cuius quisque ventriculus parvum continebat polypum: praeterea ſiniſter craſſus et rigidiuſculus, magis vero craſſae et rigidae valvulae utriusque generis, imo ſemilunarium limbi

bi longe craſſisſimi ac mere cartilaginei, cum illae, quae arteriae pulmorali adiacent in dextro ventriculo, tenuiſſimae ac molliſſimae eſſent.

§. 21.

Claſſicus miles, tricenario proxime maior, natura robuſtus, laborabat difficultate ſpirandi cum continuo pectoris dolore acuto, qui ſubinde immane quantum exaſperabatur, cogebatque aegrum fortiſſime pectus comprimere perexiguo cum levamine. Multa ſollicita oppoſui remedia per integrum annum, ſed omnia malum eluſit viresque cum tempore ſumſit longe atrociores, corpore iam cachectico et intumeſcente: pulſus ferociente dolore parum deprimebatur, alias mediocris et aequabilis. Flatus nec ſurſum nec deorſum erumpebant, neque unquam de illis queſtus eſt aeger, qui tandem, per ſedecim menſes atrociſſime cruciatus, repente collapſus animam exſpiravit. In cadavere nulla in cavitate abdominis inventa eſt aqua. Ventriculus et inteſtina enormiter à flati-

itbus expanſa, alias tam haec quam reliqua abdominis viſcera naturaliter conſtituta, item illa thoracis praeter cor, quod grande propemodum inſtar bubuli atque circa ventriculum ſiniſtrum coalitum cum pericadio, cuius magnitudini reſpondebant ventriculi, qui cruore ſemipleni, et auriculae colore et ſubſtantia naturali. Igitur praeter enormem magnitudinem et aliquam cum pericardio concretionem, nihil morboſi habebat, ut quidem mihi narravit primarius noſocomii chirurgus, ex quo accepi, quae per ſectionem innotuerunt; ipſe enim Petropoli degebam, quando aeger exceſſit é vivis.

§. 22.

Nauta iuvenis macilentus quaſique ictericus, levatus ſatis ex dolore atque oppreſſione pectoris paulo poſt rediit in noſocomium iisdem malis ac una febri ardente, quae tum late inceſſebat, correptus, ex quibus poſt octo dies obiit. In cadavere inveni cavum abdominis ſemiplenum aqua viridante, cuius veſti-

ſtigia, vivo adhuc defuncto, non apparebant. Hepar ſupra ſolitum molle et coloratum, atque adeo inflammatum proximumque ſiderationi. Simili aqua inundata ſiniſtra thoracis cavitas et pericardium. Cor parvum, flaccidum ac denſis villis exterius conſitum: villorum color mere carneus, longitudo dimidium ſuperabat digitum transverſum: extrema, baſibus tenuiora, levi attritu digitorum diffluebant in cruorem, manentibus baſibus, quae itidem fortius attritae ſolvebantur. Huius modi corda villoſa in duobus adhuc aliis vidi, paulo poſt mortuis ex ſimili febri, quorum in altero fuiſſe hydropem pectoris, probe memini, in altero, an fuerit, dubius ſum: in nullo autem ſcrutatus ſum villos, fuerint ne fibroſi, an merus cruor concretus, de quo iudicet quisque ex aliis cordibus villoſis, quorum exemplum ſit hoc:

1.) Novitius nauta, robuſtae conſtitutionis, cachecticus et ventroſus, biduo decubuit in noſocomio affectus ſummo virium defectu et modica febri, nec non magnopere anxius ex dolore

et

et anguſtia pectoris, ex quibus tertia die interiit. In cadavere repertum eſt omentum corruptum, cavum abdominis repletum aqua, meſenterium et inteſtina incraſſata et rigida, colum inſuper hinc inde atratum et coarctatum: hepar induratum. Utraque thoracis cavitas aqua ſemiplena, pulmonibus liberis, lividis et corpulentis: pericardium peramplum et ſumme turgidum ſanguine aquoſo, item craſſum ac utrinque ſcabrum ex adipe lenticulari, ſeu quae conflata eſſe videretur ex multis lentibus adipoſis; adhaec interior ſuperficies obducta tenui quadam tunica carneo fungoſa, contexta ex propaginibus alterius longe craſſioris, quae cor exterius conveſtiebat. Utraque leviter tracta divellebatur, illa ex pericardio, haec ex corde, pendentibus ex ſuperficie huius divulſa fibrillis aliquot, quaſi totidem radiculis ex ſubſtantia cordis evulſis. Totum autem iſtud textum carneo-fungoſum eiusdem erat ſubſtantiae digitisque attritum diffluebat in cruorem, ut villi praecedentes (§. 22.), praeterquam quod altera tuni-

nicarum tenuis, ut dictum eſt, altera hinc inde craſſa digitum circiter transverſum: propagines itidem aliae craſſiores, aliae tenuiores, ut lacertuli cordis iisque quodammodo ſimiles, niſi eſſent villoſae: adhaec aliae longiores, aliae breviores, illae oblique, hae recte porrigebantur ab una tunica in alteram; longiſſimae ſuperabant duos digitos transverſos, breviſſimae vix unum aequabant: ſed cor, in cuius quolibet eius ventriculo parvus inerat polypus, quo magis peregrina illa carne luxuriabat, eo deficiebat magnitudine et mollitie, hoc eſt, puſillum rigidum et, quod amplius eſt, auriculis quaſi privum, ut pote quae adeo coanguſtatae, aut, ſi mavis, parvae erant, ut vix diſcernerentur à vaſis connexis.

§. 23.

Longe capacius pericardium conſpicatus ſum in alio eiusdem cum praecendente aetatis et conſtitutionis ſimilique morbo defuncto (§. 22. n. 1.), praeterquam quod huic dyſponea ſumma fuerit

et

et dolor pectoris gravior, facies inſuper lurida, lingua arida, febris maiuſcula, pulſus plane remiſſus et frequens, ſputum cruentum ſpumòſum, quod ſexto ante mortem die primum erupit ac usque in ultimum duravit. Caetera (ut defunctus mihi narravit cum adhuc eſſet vivus, qui duodecim dies decubuit in noſocomio), à menſtruo ſpatio incoeperunt et in dies creverunt, usque dum illum ſuffocaverint. Aperto cadavere viſum eſt omentum corruptum, cavitas abdominis inundata aqua, inteſtina incraſſata, rigida, hinc inde coarctata et atra, maxime vero pars coli à ſiniſtra flexura usque in rectum; quin etiam pinguedo illorum incraſſata et rigida. Similiter meſenterium affectum, in quo frequentes extabant glandulae induratae, quarum aliquot erant prorſus gypſeae ſeu converſae in materiam tartaream. Veſica urinaria ſumme contracta, ſupra modum parva, craſſa et rigida, ſecus ac ſellea, quae naturaliter conſtituta turgebat tenaciſſima bili fuſca. Hepar et pancreas induratum, lien flaccidus ac

pe-

pene ſideratus. Pulmones perexigui et liuidi: ſed pericardium enormis ac prope incredibilis capacitatis; quippe quod, ut aquoso turgebat ſanguine, quartam ferme partem occupabat ſiniſtrae cavitatis et aliquam dextrae, in quam reflexum eſt poſt ſeparationem ſterni a mediaſtino; praeterea ſolito craſſius et interius ſcabrum ex lenticulari adipe, quam contegebat tenuis carneo-fungosa tunica, ſimilis praecedentis. (§. 22. n. 1.) Cor cum auriculis naturalis magnitudinis, aliquantum pallens et putri ſideratione affectum, ex qua proveniebat facilis ejus dilaceratio ex levi partium diductione.

§. 24.

Claſſicus miles, natura robuſtus, nec dum forte trigeſimum quintum aetatis annum emenſus, inchoato autumno ſuperioris anni adducebatur in noſocomium gravatus ex anaſarcode tumore pedum et abdominis atque perpetuo pectoris dolore non usque gravi; qui

D mar-

manſit uniformis, tumore ſenſim aucto ac jam ſub initium hyemis aſcitem indicante. Hinc dimidiata hyeme aëger, gravatus nimium mole et pondore aquae, efflagitauit paracenteſin, quam quinquies inſtitui uſque ad initium veris, quia breui poſt unamquamque abdomen denuo inundabatur aqua, quae ſingulis vicibus effluxit ad libr: xxx et amplius. Tandem totus tumefactus inſtar dolii et adhuc vivus gangraene ſcroti affectus ſupremum obiit diem. Aperto cadavere inveni muſculos abdominis infra umbilicum ſideratos, quorum labes tranſiit ibidem in peritoneum, quod adhuc ſemel in quodam aſcitico ita ſideratum vidi. Omentum corruptum natabat in aqua. Inteſtina nimium incraſſata, rigida, hinc inde coarctata et ſiderata, praeſertim vero craſſa, quae penitus atrata inſtar carbonum ac longe craſſiſſima erant. Similiter meſenterium impenſe craſſum et rigidum. Hepar praegrande et durum: ſed longe durius pancreas, quod arctiſſime concrevit cum hepate et inteſtino duodeno

no. Lien magnus et duriuſculus. Siniſtra thoracis cavitas aqua ſemiplena. Pulmones tumidi, corpulenti atque hinc inde pleurae annexi per membranosa ligamenta, admodum craſſa et rigida. Pericardium craſſius ferme corio bubulo, rigidum ac ubique concretum cum corde, quod, cum poſt primam inciſionem vidiſſem ita eſſe affectum, caetera integrum et a corde non ſeparatum curavi conſervari in ſpiritu vini, ut per otium luſtrarem ac veluti curioſum debito loco reponerem, ſed relictum aliquamdiu ſine ſpiritu vini computruit. Quo circa, quia conſervari non poterat, levi negotio ſeparavi a corde vidique ſuperficies cohaerentes invicem coaluiſſe per plana quaedam partim eminentia, partim cava, quae viciſſim congruebant.

§. 25.

Faſtigii loco ſit affectuum cordis et pericardii cruſta quaedam calculosa, inſtar oſſium dura, pericardio interius adnata, quam geſſit claſſicus miles

 vete-

veteranus. Exſtinctus is repentina morte, ut putabatur, afferebatur in noſocomium a commilitonibus, qui nunciabant primario noſocomii chirurgo defunctum per duodecim ultimos vitae dies orthoſtadium exſpuiſſe ſanguinem, queſtumque fuiſſe de pectoris dolore. Chirurgus adeunti mihi de more noſocomium referebat allatum eſſe cadaver et quae nunciata ſibi eſſent a ſociis defuncti. Ego vero, ignarus ſtupendae cauſae mortis jubebam id aperire, dum inviſerem aegros, quibus proviſis cito de neceſſariis mox intravi cameram, in qua cadaver aperiebatur, ubi ſtatim obtulit mihi ſecundus noſocomii chirurgus pericardium quoddam durum quaſique oſſeum et cor valde deforme, ex quo illud jam ſeparaverat. Pericardium illud, quod ob oculos habeo interius cruſtatum eſt materia calculosa inſtar oſſium dura et pauxillum friabili, per quam amiſſa penitus flexilitate oſſeum intuenti apparet, quamvis manſerit membrana, qualis aſſolet eſſe, praeterquam quod aliquantum incraſſata; ni-

nimirum pericardium tanquam membrana tenuis et quodammodo pellucida, arctiſſime cruſtam illam conveſtiens, veluti pericardium quoddam, aſſumit colorem illius albicantem, eoque diſcerni ab illo non poteſt, niſi ſeparatum, quo fit ut oſſificatum appareat. Cruſta autem illa occupavit totum ſiniſtrum latus a baſi usque in apicem et baſin dextri ad duos circiter digitos, quae continuatur cum baſi ſiniſtri; reliquam partem lateris dextri, qua pericardium cohaeret cum diaphragmate, non tetigit, quae tamen in ſeparatione abſcissa eſt, ubi nunc viſitur foramen magnum pericardio non contectum. Praeter hanc partem non cruſtatam duae adhuc minores ad baſin exiſtunt, quaelibet in regione auriculae, et aliquot hinc inde perexiguae in comparatione priorum, in quibus omnibus pericardium cernitur et contegit foramina cruſtae, quae totidem ſunt, quot partes pericardii non cruſtatae. Craſſitudo cruſtae in medio lateris ſiniſtri dimidium pene digitum aequat, in apice

 nota-

notabiliter minor eſt, ubi et cruſta hinc inde deficit; in reliquis partibus media ſuperficies utraque aſpera eſt quaſique ſpinis obtuſis, quales ſunt recentes roſarum aut micantes arborum turiones, denſiſſime aculeata, quarum aliae aliis tuberoſiores maxime ſcabras et inaëquales reddunt ſuperficies illas et pericardium, quatenus exteriori adnatum ac ubique accommodatum. Cum corde vero cohaerebat cruſta illa interventu craſſiſſimarum membranarum, quibus illud convolutum maxime hirſutum et deforme oculis erat. Tales membranae etiam ad baſin ejus extra pericardium luxuriabant, omnibus vaſis ſanguineis arctiſſime circumplexae, in quibus aliquot cernebantur glandulae, quaelibet aequalis prope nuci moſchatae.

§. 26.

Nauta quidam, forte ſupergreſſus trigeſimum quintum äetatis annum, conquerebatur de dolore pectoris, quem ex facie bene colorata et valida corporis

ris conſtitutione ſimulatum exiſtimasſem, niſi pulſus parvus et tardus (qualem ſaepe animad verti in morbis pectoris chronicis) latentis morbi conjecturam ſuppeditaſſet, comprobante illam funeſto exitu; nam, cedente uſu pectoralium dolore poſt menſtruum circiter ſpatium, balneum aeger ingreſſus, indeque, poſtquam de more lavit, egresſurus repente prae oſtio concidit exanimis. Aperto paulo poſt thorace inveni quamlibet auriculam cordis inſolitae magnitudinis prae nimia ex ſanguine plenitudine, quem in modum turgebant et vaſa cordis coronaria; inprimis vero arteria magna ab egreſſu ex corde ad quatuor circiter digitos transverſos enormis erat capacitatis; cujus quippe diameter tres ad minimum digitos transverſos aequabat, craſſitudine parietum ad dimidium plus minus digitum accedente. Porro craſſitudini parietum, quorum ſuperficies interior inaequalis et ſcabra fuit, acceſſit inſolita durities, qua labe affectus etiam erat ventriculus cordis ſiniſter, item valvu-

lae, lacertuli et ſeptum transverſum, atque tam hic, quam dexter et pars arteriae magnae praeter naturam ampliata, repleta ſanguine, ut caetera vaſa.

§. 27.

Novitius nauta annos viginti natus, laborabat febri ardente cum dolore pectoris et tuſſi mediocri, ex quibus febris citra purpuram vel ſcabiem, quae novitiis undecunque aegris efflореſcere ſolent, §. 9. deſiit in perfectam ſurditatem, dolor vero qui usque in abdomen porrectus et tuſſis perſeverarunt duos continuos annos, contabeſcente ſenſim aegro, qui poſtremo inſtar ſceleti emaciatus obiit. In cadavere inveni omentum corruptum, caetera abdominis viſcera parum alterata, praeter meſenterium, in quo frequentes eminebant glandulae induratae. Pulmones frequentiſſimis parvis tuberculis, quorum alia ſuppurata, alia indurata erant, affecti ac ubique concreti cum pleura

pleura, mediaſtino et diaphragmate per adipem craſſam, quae illos conveſtiebat veluti tunica quaedam. Lobus ſiniſter pericardio fortiter adnatus, maximam partem ſuppuratus variis locis, inter quem et pleuram inveni calculum durum et aſperum figurae quaſi cubicae et ponderis circiter octo granorum: dexter lobus ſuperior aeque ac ſiniſter corruptus, inferior induratus ſeu ſcirrhoſus. Similiter adeps partite corrupta, ut pulmones ſubjecti, atque in partibus corruptis fungoſo-adipoſa, frequentibus membranis intercepta et ſupra digitum craſſa, reliqua incorrupta tenuiori et rigida quaſique mera membrana adipoſa. Pleura ubique integra et ſana, praeter portionem illam, juxta quam calculus crevit, ubi incraſſata et obſcure rubra incepit participare de vitio pulmonum. Cor parvum et, quod mirum eſt, ſine polypis. Caeterum in cadavere iſto fuit extremum quintae coſtae verae bifidum, cujus quodlibet crus ſuam habebat cartilaginem, ſeorſim in ſternum porrectam.

ctam. 1.) Nauta juvenis modice febriens magnopere angebatur ex defectu virium atque dolore pectoris et abdominis, quibus in dies ingraveſcentibus octavo die mortuus eſt. In cadavere inveni omentam corruptum, inteſtina inflammata pariter ac meſenterium, multis in hoc glandulis induratis conſpicuis, quarum pleraeque inflammatae eaeque molliores non inflammatis. Hepar parum alteratum. Pancreatis extremum dextrum craſſum, durum, hinc inde corruptum, et cum duodeno concretum: ſiniſtrum macilentum. Pulmones inſtar hepatis corpulenti, toti quanti ſiderati ſeu gangraena affecti ac ſimili adipe, (§. 27.) conveſtiti, per quam lobus ſiniſter ubique coaluit cum pleura, mediaſtino, pericardio et diaphragmate; dexter liber, ſed aqua demerſus loturae carnium ſimili, quae homologam thoracis cavitatem inundavit. Praeter ſiderationem ex inflammatione prognatam, aliam labem antiquam in pulmonibus non vidi, quam adipem, quae in ſiniſtro

lobo

lobo craſſior erat praecedenti, (§.cit.) praeſertim vero circa limbum concretum cum pericardio, mediaſtino et diaphragmate, in dextro tenuior ac in utraque ſiderata. Pleura immunis ab inflammatione et corruptione, imo, judice ſensu, naturalis, ſecus ac diaphragma et pericardium, quorum hoc minus, illud magis participabat de natura tunicae adipoſae, circa limbum hujus craſſum, hoc eſt converſa ibidem erat in ſimilem ſubſtantiam. Cor naturale, praeterquam quod parvum et parvis polypis habitatum. 2.) Claſſicus miles quadragenario proximus, acute febriebat cum deliriis nocturnis, quae circa nonum invaſionis diem deſierunt, remittente ſimul febri et caeteris ſymptomatibus. Nihilomnius aeger in dies languidior et macilentior fiebat, urgente continenter dolore pectoris et praecordiorum, qui inde a principio aderat, quo ad ſedecim diebus exactis interiit. Aperto cadavere deprehendi cavum abdominis ſemiplenum aqua, antehac latente. Omentum corruptum,

tum, ventriculus et inteſtina incraſſata et hinc inde communi modo ſiderata. Meſenterium inflammatum et glandulis induratis interpolatum. Hepar praegrande, durum et poſtica parte adnatum diaphragmati. Pancreas macilentum et altero extremo, quod induratum erat, arctiſſime concretum cum hepate et duodeno. Lien parvus et flaccidus. Siniſtra thoracis cavitas aqua ſemiplena, pulmonibus liberis, lividis et corpulentis, at non induratis, ut lobus dexter, qui totus quantus ſcirrhoſus erat, ut merito crederes hepar induratum, quo cum conſulto comparavi; praeterea totus obductus adipe tenuiori quidem, quam praecedentes, (§. 27. et n. 1.) ſed longe rigidiori, per quam firmiſſime cohaerebat cum pleura, mediaſtino et diaphragmate. Bronchia per lobum iſtum diſpersa, valde dura quaſique oſſea. Cor parvum rigidum et adipe contectum, cui accrevit non ita craſſa tunica carneo-fungoſa, utraque ſuperficie ſcabra ex miliari adipe, tantillum rubente, per quam

ubique

ubique cohaerebat cum pericardio, ex quibus leviter tracta juxta divellebatur, nullis ſui veſtigiis in pericardio relictis, quod ideo poſt ſeparationem glabrum et laeve remanebat, quale ſolet. Porro in unoquoque ventriculo cordis polypus parvus, longiſſimis pedunculis luxurians, quorum unum extractum ex ramo venae cavae deſcendente, quem incidi uſque ad aliquam partem hepatis, extendi infra inguina defuncti: erat autem ramificatus in ingreſſu ad hepar et circa vaſa iliaca, quae ex aſſe referebat.

§. 28.

Tantae longitudinis pedunculos polypi conſpexi adhuc in alio ſimilis ferme äetatis et conſtitutionis cum praecedenti atque ſimili febri mortuo non longe poſt illum, (§. 28. nro. 2.) quorum unum extraxi ex vena jugulari, inciſo trunco ejus uſque ad ſubclaviam extendique ſupra verticem defuncti. Praeterea hoc in cadavere pulmones erant

rant referti minutis tuberculis ac ubique concreti cum partibus vicinis, quae illaeſae erant, etſi lobus ſiniſter infimus inflammatus fuerit. Viſcera abdominis ſimiliter prope affecta atque illa prioris, (§. et n. cit.) praeterquam quod aqua non inerat in cavitate abdominis: hepatis lobus dexter induratus, ſiniſter ſideratus, inter quem et ventriculum, quo cum concreverat, paucum obſervavi pus a portione illius ſuppurata. Porro, quod praecipuum eſt in hoc cadavere, ventriculus flaccidus, tumidulus, utraque ſuperficie ex mucore lubricus et hinc inde lividus ſive uno verbo ſideratus, duobus lumbricis vivis inter tunicas ejus haerentibus, altero circa fundum, altero in parte ſuperiori: quisque ſpithamam erat longus ac uterque recta extenſus juxta longitudinem ventriculi, niſi quod in medio parum deorſum flexus ac rurſus elevatus. Neuter autem vel forinſecus vel intrinſecus apparebat, neque loculo ſuo moveri poterat absque inciſione parietum, quamvis ſuperiorem, priusquam

quam parietes incidi, leviter palpando ſusque deque adegerim, quo forte illo moto, obſervare poſſem foramen aliquod, per quod eo peretraſſe credebam ingruente morte, ſed nec ita nec aliter luſtrando ſuperficiem cum exteriorem tum maxime interiorem ullum animadverti foramen. Intervallum tunicarum, in quo quisque lumbricorum haerebat ſeu loculus cujusque pure ſemiplenus, laxe reſpondebat figurae et magnitudini hospitis ſui, nullo cuniculo ultra porrecto. Ex quibus omnibus colligebam lumbricos illos non uno vel altero die, ſed pluribus ibidem delituiſſe; perveniſſe vero per cuniculum quendam a ſe factum, qui poſtea clauſus ſit ex cadaveroſa parietum tumiditate, vel infarctus muco aciem oculorum ſubterfugiſſet: longum enim foret aliunde illos accerſere, neque tandem veritatis ſpeciem prae ſe feret. Caeterum ex tanta corruptione viſcerum atque tam foeda infeſtorum hoſpitum habitatione nullum ſymptoma gravius ſenſit äeger, quam ardorem et dolo-

dolorem quendam praecordiorum, qui inde ab initio aderant ac per totum morbi decurſum perſeverarunt, qui vigeſimum forte diem transgreſſus eſt.

§. 29.

Novitius nauta, annos circiter viginti natus, ſubito correptus eſt vehementi totius corporis horrore, quem paulo poſt excepit febris ardens comitata mediocri lateris ſiniſtri dolore et fatuo quodam delirio, quorum cauſa ſecta eſt ipſi vena eodem die, et poſtero, quia malum non ceſſit, adductus in noſocomium delirus ac vix ſui conſcius. Ubi iterata phlebotomia continuo applicari curavi ſuris duos phoenigmos, aliaque praeſcripſi remedia pleuritidi debita. Tertio erupit inter axillam et mammam lateris affecti tumor calens et rubens, remittente pauxillum delirio, cujus maturationem quantocyus deproperavi, appoſito emplaſtro emolliente ac per intervalla cataplasmate; quibus opportune ele-

va-

vatus et ampliatus usque ad ſextum diem: ſeptimo vero, cum jam proximus eſſet maturationi, ſubito retroceſſit, redeunte delirio ac ſputo cruentato, quorum illud interea temporis evanuit, hoc ſimplex fuit. Ex quibus aeger decimo ſexto die lethargicus interiit. In cadavere omentum erat corruptum: hepar, aliquantum induratum, unico quaſi lobo conſtabat, occupabatque ſpatium illud lateris dextri, quod inter cartilaginem xiphoidem et ultimam coſtam ſpuriam includunt diaphragma et coſtae; lobus ſiniſter, figura magnitudine ſimilis ovo gallinaceo pendebat ex dextro circa ingreſſum venae portae. Dextra thoracis cavitas et lobus in ea pulmonum naturalis, ſiniſtra ſemiplena aqua inſtar loturae carnium, in qua natabat pus haud abſimile albumini ovi in aqua cocto; qualem in maſſam concreſcit aqua hydropicorum, aliquamdiu cocta, uti multoties obſervavi. Pus autem illud inſternatum fuit pulmonibus et pleurae, item portioni diaphragmatis, per quod

pulmones connectebantur cum partibus dictis, praeſertim vero cum pleura circa axillam, ubi tumor forinſecus apparuit; ſiquidem ibi et pus uberius fuit generatum, quod ſive hic ſive alibi nulla veſtigia continebat ſuppurati alicujus texti fibroſi. Pulmones in ſiniſtra cavitate inflammati quidem, praeſertim vero lobus ſuperior, ſed parum gangraenati, minime ſuppurati, etſi ſuppurati viderentur ex pure, quo ſuperficies illorum gibba craſſe illinita ſuppurationem mentiebatur; quam et pleura atque etiam portio diaphragmatis, extremo pulmonum connexa, referebant ex eodem pure ſibi adhaerente; alias haec gangraenata, illa penitus ſphacelata: hinc digitis prehenſa facillime cum a coſtis et muſculis intercoſtalibus, quia circa axillam ſiderati et cadaveroſi erant, ſeparabatur, tum inſruſta lacerabatur inſtar putridi cujusdam texti, licet ut corium pene bubulum craſſa esſet; quae inſolita craſſitudo omnibus partibus ex inflammatione ſideratis communiter accidit. Caeterum

terum pleuram ita labefactatam in hoc tantum cadavere vidi, in reliquis vero omnibus, quae per quadriennium aperui, (§. 12. nro. 1.) vel naturalem vel parum alteratam.

1.) Simile hepar (§. 29.) conſpicatus ſum adhuc in alio lente conſumpto ex aſcite et ictero flavo per modicam febrim coninuam, quibus cum nullum gravius ſymptoma conjunctum erat, quam mediocris faucium ardor et praecordiorum dolor, cum pleraque abdominis viſcera peſſime eſſent affecta; nam hepar ita conformatum, ut prius, (§. cit.) atque multo grandius: praeterea hinc inde penetratum tuberibus quibusdam veluti totidem ſteatomatibus variae magnitudinis, quorum alia ſuperficie tenus ſuppurata albicabant per tunicam illius, quae illaeſa ubique manſit; caetera non ſuppurata rubebant, in quibus continebatur materia ſpiſſa ex cinereo rubra. Porro idem hepar ſuperficie ſua gibba coaluit cum muſculis abdominis per ſimile illius pus, quale in praecedente cadavere deſcripſi (§. citat.). In utroque autem or-

tum fuiſſe videbatur pus illud non ex ſolida quadam parte ſuppurata, ſed ex aqua hydropica per calorem febrilem cocta, eoque aſſimilatum maſſae, in quam ſpiſſatur aqua hydropicorum, ſi aliquamdiu coquatur. (§. citat.) quae hoc in cadavere flaveſcebat, ut in omnibus aſcitico-ictericis. Caeterum veſica fellea perexigua, parietibus impenſe craſſis et rigidis, in qua pauxilla inerat bilis tenaciſſima viridis, quali omnia vaſa, in hepate diſsecto conſpicua, plena vidi. Pancreas enormiter induratum ac fortiſſime hepati et duodeno adnatum. Lien lenticulari adipe ſuperficietenus variatus, ventriculus interius inflammatus et laevis. Inteſtina incraſſata ſimiliter meſenterio, in quo nullas vidi glandulas induratas, cum in collo veſicae urinariae, (quae perinde incraſſata et rigida erat, ac fellea) duae inſignes jam ſideratae exſtarent, quaelibet major nuce moſchata. Pulmones hinc inde annexi pleurae et diaphragmati per membranoſa ligamenta. Alias naturales et conſiſtenti defuncti aetati competentes.

§. 30.

§. 30.

Claſſicus miles veteranus per tres continuas dies cereviſia et ſpiritu vini inebriatus, quarto et quinto ſitibundus largam hauriebat frigidam cereviſiam non lupulatam, ſexto adducebatur in noſocomium modico dolore praecordiorum affectus. Quam mox ſecutus eſt vomitus humorum nigricantium, eumque paulo poſt terminus vitae. In cadavere muſculi abdominis reperti ſunt infra umbilicum ſiderati peritoneo duobus locis alterato. Ventriculus coarctatus, incraſſatus, rigidus et hinc inde inflammatus, atque tam hic quam inteſtina ſemiplena liquore atro, qui procul dubio erat cereviſia non lupulata, inchoante gangraena inteſtinorum hauſta et interea tincta ex bili. Hepar induratum. Lien ſideratus, cujus limbo inferiori ſuccrevit oſſiculum quoddam immediate cum ſubſtantia illius cohaerens tunicaque communi oppertum: id longum erat tres circiter digitos, ſubrotundum, in medio craſ-

ſius penna anſerina, in extremis tenuius, ſubſtantia quaſi cartilago inveterata. Porro pulmones toti inflammati atque circa dorſum ſiderati et cadaveroſi. Ubi in aſpera arteria conſpiciebantur aliquot glandulae bronchiales ſideratae et inſtar carbonum nigrae, ex quibus diſſectis ac leviter compreſſis ſtillabat liquor nigerrimus, qui non ſecus tingebat linteum ac atramentum. Ad haec lobus dexter totus concretus cum pleura, mediaſtino et diaphragmate, ſiniſtro hinc inde iisdem partibus modo adnaſcente. Poſtremo cor ubique obductum adipe, cujus auricula dextra naturalis magnitudinis, ſiniſtra perexigua et vix decimae parti dextrae aequata. In unoquoque ventriculo parvus polypus brevibus pedunculis praeditus.

§. 31.

Nauta quadragenario proximus, aliquantum macilentus, torquebatur continuis ventris torminibus, cui et hoc

 ſae-

ſaepiſſime accidebat, ut abdomen profunde contraheretur, et alvus per aliquot dies adſtringeretur, quae quandoque ſponte natura laxabatur; quibus per ſesquialterum annum miſerrime cruciatus tandem emaciatus et cachecticus ſupremum obiit diem. In cadavere deprehendi inteſtinum rectum enormiter a flatibus expanſum, qui eo propulſi erant ex omnibus inteſtinis impenſe coarctatis, maxime vero colo, cujus cavitas occluſa propemodum fuit prae coarctatione parietum, quo factum eſt ut omnium tenuiſſimum appareret ac vix aequaret craſſitudinem digiti auricularis. Praeterea omnia ex aequo rigida, plus minus incraſſata et inſtar carbonum nigra, praeterquam tunica illorum extima, quae paucis in locis nigredine variata. Porro in interiori illorum ſuperficie hinc inde cernebantur foveae quaedam diverſae a rugis, portiones ſcilicet ſubſtantiae abſumtae; verum ibi quoque aeque rigida, ac alibi erant. Aqua nulla inerat in cavitate abdominis. Atque adeo caſus

 ſus

ſus hic et ſequens probe notandus eſt, ceu ſpecimen colicae ſcorbuticae, (§.4.) et ſphaceli ejusdem cognomenti. (§.17.)

1.) Nauta conſiſtentis aetatis, macilentus et pallidus, continua laborabat obſtructione alvi, non usque torminoſa, abdomine notabiliter contracto, quae crebro laxantium et emollientium uſu aegerrime ſolvebatur magno cum aegri conatu, qui tandem poſt tres forte menſes obiit lethargicus longo agone vexatus, in quo inteſtina erant perinde coarctata, rigida et nigra, ut in praecedente; (§. 31.) praeterea flexura coli, ex qua rectum incipit, porrecta usque in dextrum os ilium ipſique adnata. Porro omentum omnisque pinguedo, quae naturaliter in abdomine reperitur, merum quaſi ſteatoma erat. Quin etiam meſenterium pro ſteatomate accepiſſes, utpote craſſum ſupra pollicem ex multa adipe rigida et frequentiſſimis glandulis duris. Hepar induratum, maxime vero pancreas, quod fortiſſime concrevit cum hepate et duodeno. Poſtremo omnes partes

hoc

hoc in cadavere pallebant et ſanguine privae, imo vix aliquot ſanguinis guttas inveni in vaſis ſanguineis utriusque generis, quorum capaciora conſulto diſſecui tam in abdomine quam in thorace. Cor perinde ſanguine vacuum.

§. 32.

Nauta tricenario major ſuperata anno 1731 anaſarca ſcorbutica (§. 7. nro. 2.) vixit octo menſibus cachecticus et valetudinarius, nono vero (qui initium erat veris anni 1732) iterum ex ſcorbuto tumefactus rediit in noſocomium, jam praevalente aſcite, quibus poſt duos forte menſes ſucceſſit tabes ac denique mors. In cadavere obſervavi omenti conſumti veſtigia, aliquot ſcilicet vaſa ſanguinea. Cavum abdominis plenum aqua rubentiori, quam eſt colatura carnium. Inteſtina incraſſata, rigida, hinc inde coanguſtata et pleraque interius nigra inſtar carbonum. Porro pinguedo illorum luxurioſa ſteatomatica, quippe quae

omnia inteſtina forinſecus conveſtiebat, veluti tunica quaedam ſupra dimidium pollicem craſſa, exigua illorum portione infecta, per quam coaluerunt omnes illorum anfractus, et ſuperficies, quae ſeſe tangunt naturaliter. Similiter meſenterium affectum, in quo frequentes exſtabant glandulae induratae. Sic et ventriculus totus incruſtatus adipe ſteatomatica, circa fundum admodum craſſa. Hepar et pancreas ſcirrhoſum. Pulmones flaccidi et hinc inde connexi cum pleura et diaphragmate per membranoſa ligamenta.

1.) Alium paulo poſt aperui ejusdem cum praememorato aetatis eodemque morbo (§. cit.) defunctum, quem aeque ac ille evaſit anno 1731, manſitque reliquo vitae tempore cachecticus et valetudinarius, in quo ſimiliter affectum erat abdomen, praeterquam quod omentum non ita conſumtum, aqua in cavo abdominis effuſa ſubflava non rubens et adeps ſteatomatica non aeque craſſa.

§. 33.

§. 33.

Agmen obſervationum claudat volvulus, quem non ita pridem in duobus vidi corporibus, mortuis ex diarrhoea diuturna. In utroque portio inteſtini ilei ſuperna non procul a caeco ad duos circiter digitos inſinuata erat infernae ſibi continuae; quarum illa nempe recepta, coanguſtata et rigida, ut ſolent portiones inteſtinorum ita affectae, (§. 17.) nec non denſis rugis transverſis interius abundans: haec, recipiens, naturaliter capax et mollis, utraque vero ſiderata, quem in modum omnia inteſtina labefacta fuerunt; propterea phoenomenon iſtud videtur proveniſſe partim ex ſphacelo inteſtinorum inferne ſeu ab inteſtinis craſſis inchoato lenteque ſurſum ad tenuia porrecto, partim ex coanguſtatione portionis receptae, (quae motum qualemcunque in ipſa ſupponit,) partim ex motu periſtaltico per quem portio illa interea fiens anguſta, inſinuata ſit recipienti, jam ſideratae et immotae, juvante pluri-

mum

mum ingreſſum corrugatione ſeu abreviatione per frequentes plicas tunicae nerveae. Atque haec quidem ita concipere ſuadent ipſe volvulus, inſolita et frequens corrugatio interioris ſuperficiei portionis receptae, coarctatio inteſtinorum in aliis cadaveribus et ſphacelus ſcorbuticus a nervea communiter incipiens (§. citat.) ileum vero quandoque ex volvulo, tanquam cauſa primaria, oriri, ſicuti vulgo traditur, neutiquam conjicere licet ex diarrhoea diuturna, qua uterque interiit.

Caput III.

de

Conſtitutione ſana nautarum ruſſicorum.

§. 34.

QUi ſecum reputat enormes nautarum ruſſicorum morbos hactenus

ctenus adumbratos, (§. 12.-33.) is non tam admirabitur aliquando illos mori, quam tam diu vivere poſſe, ut affectus illi tanta capiant incrementa: ingens quoddam robur ineſſe illis oportet, quod tantopere nobis reſiſtat.

I) Quod ipſum clarius innoteſcit ex alacri et incredibili propemodum tolerantia ſeu laborum, ſeu quorumlibet aliorum, quae corpora humana fatigant. Id autem provenit ex tenaci et craſſo victu bene ingeſto beneque digeſto partim per alternum calorem et frigus, partim per crebra balnea, partim per labores ruſticis ſolitos, quibus omnibus asſueſcunt ab ineunte aetate, utpote qui, ſi paucos exceperis, à ruſticis parentibus oriundi ſunt. De ſingulis ſeorſim dicam eum in finem, ut ſana morboſis, et morboſa phaenomenis morborum atque cadaverum illuſtrandis praeluceant.

§. 35.

Quomodo inſtrumenta praecedenti para-

paragrapho laudata agant, quidue unumquodque eorum conferat corroborandis corporibus nautarum ruſsicorum dilucide explicare nequeo, priuſquam praecognita quaedam phyſiologica in medium producam, ceu loca communia.

1.) Sanguis conſtat ex diverſis elementis, ſecum invicem mixtis et alteratis convenienter uſui à natura praefixo; quae ſunt ſalina ſulphurea, terrea et, quae priora ſoluta ſeu diſcreta continent, aquaea, ex quibus ſanguinatis ac varie in diverſis corporis partibus mixtis et alteratis ſcaturiunt quoque omnes humores et ſpiritus; quorum hi videntur conſtare ex aquoſa et ſulphurea ſanguinis portione ſumme attenuata, et clarificata in tomentoſa cerebri ſubſtantia, indeque per nervos derivata, ſpirituum nomine, ad omnes corporis partes pro ſenſu et qualicumque motu illorum.

2.) Sanguis, qui fluidum quoddam eſt ſpisſiuſculum, motu privatus continuo coagulatur ſeu penitus ſpisſeſcit. Atque adeo pro celeritate, qua move-

movetur, ſpisſitudo ejus variat, id eſt, quanto tardius, vel celerius movetur, tanto ea creſcit vel decreſſit, niſi quidpiam morboſi obſtet.

3.) In ſanguine continetur tam calor, quam aër, docente ſenſu et phyſica: quippe uterque tanquam ſpecifice levior ſanguine, adhaeret ipſi, quemadmodum reliquis corporibus, tam fluidis, quam ſolidis. Porro calor praeeunte adhaeſione penetrat in interſtitia particularum, aër modo rarefactus, modo compresſus in illis deliteſcit pro gradu caloris praeſentis, qui elaterem ejus regit. Caeterum uterque elaterem quendam ſanguini conciliat, quo per ſe caret.

4.) Ubi ſuppono (no. 3.) corpora ſpecifice leviora adhaereſcere ſpecifice gravioribus vel ſpecifice aequalibus, atque adhaeſionem hanc esſe majorem inter corpora aequalis gravitatis ſpecificae, quam inter illa, quorum grauitas ſpecifica variat. Leges iſtas primus detexit et pluribus experimentis comprobavit ſolertiſſimus Hamber-

gerus

gerus in Elementis phyſices a ſe editis, ac foenerato applicuit cum in alias partes Medicinae, tum in phyſiologiam a ſe elaboratam, nondum, quod ſciam, editam, ex quibus hauſi fundamenta doctrinae deinceps concinnandae.

5.) Omnes corporis partes ſolidae inter ſe cohaerent, et finis unius eſt initium alterius, atque ita porro quaelibet dimenſione proprie terminata per aliam a ſe inchoatam, poſtremo in ſe redit; quo fit ut omnia illarum cava, praeterquam ventrem, ſecum invicem communicent et continuentur.

6.) Omnes partes ſolidae molles et flexibiles plenae ſunt fluido nusquam interrupto, ſive ubique continuato per continuatam cavitatum communicationem (nro. 5.) ac ſequente premente praevium praeterquam in corde, auriculis et vaſis ejus coronariis, quae alterne replentur et deplentur, uti notum eſt, atque continuata illius promotio per omnes corporis partes ex alterna cordis et arteriarum contractione dicitur circulatio. Caeterum non

quam-

quamlibet hic ſolidorum plenitudinem ex fluidis concipio, ſed eam duntaxat, quae aequata ſit naturali eorum dimenſioni. Talis vero dimenſio concipi poteſt, ſi ſpectentur ſolida citra contractionem & dilatationem.

7.) Dilatatio ſive diſtenſio ſolidi cavi et flexibilis eſt parietum ejus a ſe invicem recesſio, quæ parietum recesſio ſive remotio ſecum fert remotionem quandam particularum a ſe invicem, ex quibus parietes conſtant, et haec tenſionem, quae generatim definiri poteſt terminorum & partium intermediarum remotione a ſe invicem. Proinde cum ſolidum dilatatur et cavitas ejus fit major et interſtitia particularum, ex quibus parietes conſtant, aliquantum augeſcunt; item cum ſolidum tenditur, dimenſio ejus augetur. Caeterum ſolidi cavi dilatatio fieri nequit ſine plenitudine, cum vis aequaliter undique agit in cavitatem illius, ſeu cum a fluidis provenit, quorum proprium eſt aequaliter premere quaqua verſum, non comprimi a vi externa, praeter aërem, et, caeteris paribus,

F ſponte

ſponte fluere ad ſpatia non reſiſtentia.

82.) Contractio ſolidi cavi et flexibilis eſt parietum ejus ad ſe invicem acceſſio ſeu admotio: atque adeo ſub hac et cavitas ſolidi diminuitur et interſtitia particularum, ex quibus parietes conſtant, non nihil coanguſtantur per rationem contrariam (nro. 7.) Hinc ſolida contracta propellunt liquida, quae continent, verſus eam regionem, in qua minor eſt reſiſtentia, (nro. citat.) tanto quidem celerius, quanto contractio fortior et reſiſtentia minor fuerit. Contractio autem in fibra quidem ſimplici, ſi qua in ipſa concipitur, aequatur denſitati, et haec numero punctorum contactus particularum, ex quibus ſolidata eſt; in fibra vero compoſita numero et denſitati fibrarum ſimplicium ipſam conſtituentium, modo flexilitas ſit juſta et cavitas patens.

9.) Cujus partium ſolidarum, praeter oſſa et cartilagines, competit ſenſus, ſibi proprius, et potentia ſe contrahendi, quae irritata parte quacunque ex cauſa, operatur pro conſtitutione et,

(quo

(quo irritatio ſeu moleſta affectio ſentitur) ſenſu eius, quod etiam obſervatur in partibus quibusdam carnoſis, recens ex corpore animalium quoruundam exſectis. Atque gemina iſta conditio eſt proprium vitae et partium cum ipſa viventium.

10.) Differt autem gemina illa conditio, (9.) ab elatere fibrarum, qui dependet a cohaeſione partium ipſas conſtituentium. Nimirum fibrae dicuntur elaſticae, quatenus a vi externa tenſae priſtinam reſumunt dimenſionem per cochaeſionem partium, cesſante vi tendente; ideo quod partes fibrae cohaerentes et ſolidatæ mutuum quendam involvunt niſum, intercedente contactu, quem tenſio non tollit, dum contactus manet, qui propterea cesſante vi tendente operatur et demenſionem fibrae reſtituit. (nro. 7.) Augetur autem dimenſio fibrae per interſtitia particularum ſolidarum varie modificata, cui ſymbolum conferre videntur particulae ſemifluidæ, in interſtitiis illis conſiſtentes, quae interea cedentes, neque ta-

 men

men recedentes, et denſitatem fibrae non diminuunt, et limitationem interſtitiorum tenſioni accommodatam: juvant prius exempla ſenſibus obvia; ſatis illuſtrant poſterius phaenomena corporum ſiccorum et rigidorum per imbibitam aquam emollitorum.

11.) Cum pars ſolida, undecunque impotens ſeu impedita ſe ſe contrahere nititur, quodammodo tenditur, ut ex notione tenſionis (nro. 7.) niſus et impotentiae clarum eſt. Ubi niſum producit ſenſus moleſtus (nro. 9.) actum ſive operationem fruſtatur impotentia. Praeterea cum ſolidum fortiter contrahitur quodammodo tenditur, fluido, quod illo continetur, (nro. 6.) celeriter non cedente, utpote quod interea reſiſtit, quia comprimi nequit, (nro. 7.) niſi quatenus aër in illo contentus (nro. 3.) comprimitur, eoque tenſionem quandam faceſſit ſolido per niſum ipſius. (nro. 7, 8.)

12.) Nutritio fit appoſitione materiae nutritivae rite in corpore praeparatae atque liquatae, perque vaſa ve-

hentia

hentia advectae ad partes nutriendas, ubi preſſa ex contractione cordis et arteriarum per intermedia fluida (nro. 6.), praeeunte adhaeſione (nro. 4.) ſuccedit particulatim in interſtitia particularum partium illarum, nonnihil dilatata iiſdem ex cauſis (per num: 6. 7. et ipſas cauſas citatas), ibidemque conſiſtit, tenuiori ac longe ſpecifice leviori, quae cum illa advehitur, interſtitia perfluente atque per minuta revehentia ſeu lymphatica refluente in communem ſanguinis maſſam. Quae porro particulae nutritivae, ſi ejusdem fuerint grauitatis ſpecificae cum particulis nutriendarum partium ſoliditatis, aequali cum cum ipſis cohærent vi (nro. 4.) et continuo ſolideſcunt; ſin paulo minoris, manent inter illas ſemifluidae, aucto eatenus illarum contactu et numero, quoad mediata illa preſſione undecunque propellantur, et revehantur, aliaeque in locum illarum ſuccedant aequalis cum ſolidatis gravitatis ſpecificæ. Ex quibus liquet ſingulas corporis partes ſimilibus nutriri, quarum praecipuum diſcrimen conſiſtit in

 diver-

diverſa ſtructurae denſitate, et haec in peculiari gravitate ſpecifica particularum, ex quibus ſtructura ſolideſcit.

13.) Sed enim quamvis materia nutritiva ſingularum partium ſit diverſa (nro. 12.), tamen omnis, generatim ſpectata, participat de gelatinoſo tenaci temperamento; id quod indicat partim gelatina qualiscumque ex ſingulis corporis partibus excocta, partim ſoliditatis diuturnitas: enim vero niſi materia nutritiva eſſet tenax, hoc eſt, apta per ſe notabili cohaeſioni, ſolida ex illa conſtructa, juxta leges plaſticas â ſapientisſimo conditore ſtatutas, ac per appoſitionem ejus nutrita (nro. 12), vel tantum ſoliditatis gradum non adipiſcerentur, vel adepta brevi amitterent, disſoluta cohaeſione particularum vel per calorem et impetum ſanguinis auctos, vel per qualitatem quandam exacutam; quale quoddam per morbos duntaxat quosdam ſubinde accidit.

14.) Quo circa tenax et crasſus victus aptisſimus eſt nutritioni (nro. 13.), modo probe digeratur et ſanguinetur (nro.

(nro. 12.), et enim qualis cibus, talis chylus, et qualis chylus, talis ſanguis; alter quippe ex altero generatus conſervat plus minus primitivos characteres, praeſertim vero tanacitatem, ad quam natura pronus eſt ſanguis (no. 2.). Igitur hujusmodi victus ſi incidat in corpora, quae penitus illum ſubigant, valido ipſis fit nutrimento et robori.

15.) Propterea corpora illa (no. 14.) oportet esſe ſana et valida ex nativitate, atque etiam laborioſa, qualia ſtatuere licet ea nautarum rusſicorum, ceu progeniem ruſticanam (§. 34.), quae ubique terrarum ſana, plus minus robuſta et laboribus aſueta eſt. Dicitur autem corpus ſanum, ſi et ſanguis, humores et ſpiritus commoda quantitate et qualitate praediti ſunt, et viſcera cum reliquis partibus ſolidis ſtructuram posſident flexibilem, perviam et ſatis denſam; ex quibus omnibus oriuntur actiones aetati, ſexui et vitae generi competentes, quas natura duce habemus pro indicio ſanitatis, atque ſi potentiores fuerint, quam ſolent, pro indicio ro-

 boris,

boris, quod dependet ex notabili fibrarum denſitate et commoda habitudine (no. 8.).

§. 36.

Labores juxta medicos ſunt motus corporum voluntarii, sub quibus musculi fortius contrahuntur et extenduntur, ſuccusſis plus minus viſceribus, corde et arteriis validius contractis et dilatatis, ac ſanguine humoribus atque ſpiritibus celerius ſiue impetuoſius motis, quam ſub levioribus et ordinariis vitae muniis. Proinde conſequens eſt, ut ſub laboribus ventriculus nautarum rusſicorum (§. 34.), gravatus mole et pondere cibi, fortius agentibus per ſuccusſum ipſius et vicinorum viſcerum, atque etiam per operoſum muſculorum abdominis et diaphragmatis motum, fortiter contrahatur (§. 35. no. 9.), elevato fundo et diminuta pro contractione cavitate (§. citat. no. 8.). ac rurſus ſuperata contractione iisdem ex cauſis perinde gravetur et diſtendatur, atque ita porro alterne contrahatur

hatur fortiter et diſtendatur. Hinc effluit ex glandulis ejus copioſa lympha gaſtrica, accelerata partim ex forti parietum presſione et ſuccuſſu, partim ex impetuoſiori fluidorum motu, partim etiam, ceu ſpecifice levior, elicita ex alimento per contactum et adhaeſionem (§. citat: no. 4.). quae porro, contactu et adhaeſione continuata, irruit una cum potulentis et ſaliva oris in poros particularum alimentariarum, pandente liberius illos aëre in iiſdem contento, quem calor ventriculi auctus expandit (§. citat: no. 3.). quo ipſo diductis paulatim poris laxataque cohaeſione particularum alimentariarum, juvante ſingula forti attritu et contractione venticuli et vicinorum, cibus ſive alimentum, utut tenax et crasſum, disſolvitur, miſcetur penitus cum potulentis et humoribus, atque in chylum convertitur laudabilem, qui eodem ventriculi motu actus, item presſus ab aëre, jam ſecluſo ex alimento, devolvitur in inteſtina accelerato per ſuccuſsum itu, inque tranſitu mixtus ubertim cum bili,

 ſucco

ſucco pancreatico et lympha inteſtinali (quod etiam haec fluida copioſius ſub laboribus effundantur in inteſtina), fit fluidior et, qua fluidior ac ſpecifice levior, adhaerens (§. citat: 4.) villoſae inteſtinorum tunicae ſuccedit in ostia vaſorum lacteorum, ſibi a latere obvia, juvante ſucceſſionem aëre, inteſtinorum hoſpite compreſſo interea ex maſſa chyloſa, et motu eorum periſtaltico. Qui porro promotus ex his et aliis cauſis ordinariis, potentius nunc agentibus, ac in via mixtus affatim cum lympha atque ſpiritibus evadit fluidior et generando ſanguini temperato aptus, tanto quidem magis, quanto et copioſiores uti dictum eſt, et ſimul temperatiores hauſit humores et ſpiritus, quales eſſe ſolent in corporibus ſanis (§. citat: no. 5.). Hinc eſt quod ſub pauſatione laborum aeque bene ſubigatur victus in corporibus nautarum ruſticorum, per conditiones nempe ſanitatis et roboris (§. et nro. citat.), juvante multum illos conſuetudine a nativitate contracta.

1.) Ubi notandum ventriculi robur ſive

ſive notabilem fibrarum denſitatem commoda cum habitudine (§. 35. no. 15.) in cauſa esſe, quapropter robuſti, tenaci et crasſo victu ſaginati, foenerato peragant labores graves, cum teneri ac delicati, temperato modice uſi, ne parvos quidem ſuſceperint, quin continuo ſentiant gravamen venticuli, remoram digeſtionis atque id genus alia, quae proveniunt a pondere et mole cibi, fortius per ſuccusſum agentibus in parietes ventriculi (§. 36.), qui graciles vel laxi ſenſuque acutiori praediti, remittuntur moleſte parva cum contractione (§. 35. no. 11.): nam teneritudo ſenſu medico accepta conſiſtit in acumine ſenſus naturalis, juncto plerumque cum gracilitate vel raritate partium; conſuetudo vero in acumine vel hebetatione ſenſus naturalis, inducta pedetentim ex crebro ſimilium rerum uſu.

§. 37.

Ita chylificatus cibus tenax et crasſus in corporibus illis (§. 36.) mixtus cum

cum ſanguine ac iteratis circuitibus varie alteratus in diverſis corporis partibus fit ſanguis temperatus quidem, ſed multum principio tenax et craſſus, (§. 35. no. 14.) proinde adhuc ſubigendus, quod praeſtant laudatae ſanitatis et roboris conditiones, laboribus quotidianis animatae, ſive aucta ſolidorum per ſe denſorum et habilium preſſio adverſus fluida temperata, et horum renixus, illa (§. 36.) augeſcente interea inteſtino motu, calore ubertim emergente et aëre pro gradu caloris rarefiente (§. 35. no. 3.), quo fit ut particulae ſanguinis majuſculae atterantur ac disſolvantur, item cohaerentes diſcernantur ad modum eorum, quae paragrapho praecedente disſerui. Quo modo comminutae probe omnes fluctuant inter aquoſas (§. 35. no. 1.), jam liquatae ac diſpoſitae ad liberum per canaliculos et poros tranſitum, ante hac vel tardum nimis, vel impeditum, nec non ad novas mixtiones: hinc attemperatae tam ad nutritionem (§. citat. no: 12.), quam ad ſecretiones

et

et excretiones, quae advecto per arterias ſanguine ad partes ſecernentes et excernentes ſuccedunt; potisſimum vero transpiratio, teſte largo ſudore, quo cum ſuperflua et cacochyma una ſemoventur.

1.) Attritus denotat comminutionem particularum majuscularum in plures minuſculas, quae fit per fortem figurarum contactum usque quaque continuatua ex vi externa ſive ex preſſione ſanguinis a corde et arteriis alterne contractis citra intercarpedinem (§. 35. no. 6.) cui occaſionem praebet ipſe ſanguis ſive ut latius dicam, fluida compreſſioni per ſe inhabilia (§. 35. no. 7.), per univerſum corpus plene continuata (. §. citat: no 6.), item anguſtia capillarium; ex qua quippe, aucta comparate ſuperficie, augetur contactus, praevia cohaeſionis cauſa, atque ex his reſiſtentia fluidorum adverſus cor et arterias; caeterum conditionum altera involvit particulas fluidorum ubique et ſibi invicem et parietibus cavorum continentium eſſe contiguas, ex qua per alteram

alteram ſequitur propagatio preſsionis â particulis primum preſsis ad omnes reliquas, aliquomodo tamen refracta per compreſsionem aëris (§. 35. no. 3); tertia denique determinat vim contactus ſive impulſum. Idem quoque denotat disſolutio, praeterquam quod haec fiat ex vi propria diverſorum ſanguinis elementorum (§. 35. no. 1.), in ſe invicem agentium convenienter figurae, magnitudini et gravitati ſpecificae, quibus praedita ſunt. Enim vero nulla foret ratio ſufficiens, quapropter elementis ſanguinis non competeret iſtiusmodi actio, cum continuata illorum preſsio a corde et arteriis et fluctuatio in ſero (§. 35. no. 1.) non tollat proprietates iſtas, praeſertim vero vim, quae in perpetuo eſt conatu, et admisſo undecunque contactu, illico agit pro impetu et directione cauſae externae. Quo circa nec attritus promiſcue fit, ſed pro natura ſingulorum, tantum impulſu et directione acceptis a corde atque arteriis. Caeterum ſicuti attritum et disſolutionem plurimum juvat

vat humorum calor explicitus et aër per calorem expanſus(§ 35. no. 3.), ita explicationem illius et rarefactionem hujus attritus et diſſolutio.

§. 38.

Quin etiam ſub laboribus ſtagnantes forte humores diſcutiuntur per easdem cauſas (§. 36. 37.), ſolidis, in quibus coacti haerebant, continuo relaxatis, item perviis, flexibilibus aptisque contractioni fientibus: nam ſolida infarcta diſtenduntur, rigeſcunt fiuntque contractioni inepta per reſiſtentiam humorum ſtagnantium ſive de loco non cedentium, quae impedit coarctationem cavitatis. (§. 35. no. 7. 8. 11.).

§. 39.

Et dum haec ſub laboribus fiunt (§. 37. 38.), nutritio recedit, niſi pro nutritione ſumas conſequentem fibrillarum compoſitarum, quae parietes majuſculae conſtituant, corporationem, fluido

fluido per cava illorum naturaliter manente (§. 35. no. 6.), partim aliorſum expreſſo, partim cavis accreſcente ex continua preſſione (§. citat: no. 12.) majuſculae atque concretionem parietum juvante, qualis ſolennis eſt corporibus juſtam dimenſionem et robur nactis, quae in dies gliſcens poſtremo deſinit in mortem. Nutritio autem recedit prae continuata particularum ſolidatarum dilatatione (§. 36. 35. no. 7. 8.) ac reſpondente ipſi expulſione ſemifluidarum, quae inter illas conſiſtunt (§. 35. no. 12.), item prae inanitione fibrillarum compoſitarum majuſculam conſtituentium (per citata). quae ita ſub laboribus continuata una cum largiori ſeri atque ſpirituum transſpiratione (§. 36. 35. no. 1.), pariunt moleſtum virium defectum ſive laſſitudinem, quae opportuna quiete corpori conceſſa evaneſcit per placidam remiſſionem extenſorum et reſtitutionem amiſſorum, ſuccedente inſuper commoda nutritione (§. 36. 35. no. 12.), dum corpora creſcunt.

§. 40.

§. 40.

Quae hactenus de laboribus diſſerui, (36 - 39.)bona ferme ex parte experientia communis comprobat. Etenim vulgo notum eſt, corpora laboribus innutrita facile ſubigere victum tenacem et craſſum, ac longe ſana et valida eſſe. Sic etiam quisque de ſe experitur cor et arterias fortiter oſcillare ſub laboribus, corpus primum incaleſcere, deinde ſudare, poſtremo laſſari. Ex quibus conſequentes mutationes facile intelliget, ſi diſtincte ſibi repreſentaverit praecognita et rationes ſub tractatione illarum allatas. (§. 36. - 39.)

§. 41.

Calori nautae ruſſici aſſueſcunt (§. 34.)per ſtructuram aedium, ab ipſis habitatarum, in quibus ampla ſtruitur fornax ad modum furni piſtorii, quae ipſis hyberno tempore cubile, ſtructo ſuperne tabulato, culina quovis exiſtit. Qui mos communis eſt ruſticanis Ruſſo-

ſorum, accommodatus rigidisſimae brumae ac ſimul compendio domeſticae operae: hinc domus illorum ſemper calent, etſi adulta aeſtate ubique Rusſiae intendatur calor; qvo fit, ut quovis tempore tenuisſimo domi utantur veſtitu, ita ſubinde foras egresſi, ex quo aſſueſcunt calori ſimul et frigori. Caeterum calor ille fornacum veluti ſpecifice levisſimus omnium, adhaeret cuti ac praeeunte adhaeſione penetrat per poros illius in ſanguinem (§. 35. no. 4.), cum eoque in gyrum movetur, continenter agens in particulas ejus, quas adharendo tangit. Hinc intendit utrumque ſanguinis motum expandendo aërem in illo contentum (§. citat: no. 3.) dilatando juxtaque ac proritando vaſa ſanguinea ad majorem contractionem (§. citat: no. 7. 8. 9.): ex quibus ſequuntur omnes laborum in ſanguinem effectus (§. 37. 38.) remisſiores, nutritione commode ſuccedente (§. 35. no. 12.) ac inſuper placida corporum requies, ſublata moleſtia frigoris.

§. 42.

§. 42.

Frigus, (§. 41. 34.) juxta Elementa Phyſices Hambergeri et diſſertationem ejusdem authoris de frigore morbifico, conſiſtit in privatione caloris, quae accidit, cum particulae calidae ſive igneae evolant ex corpore calido juxta leges a laudatiſſimo viro traditas, quarum praecipua haec eſt: nempe particulae igneae egreſſae ex corporibus, quae illas continent, penetrant in alia ſimilibus comparate carentia, ſtatim atque corpora ſeſe tangunt, quorum illa calida, haec frigida cognominantur. Proinde frigente aëre, quem alias frigus dicimus, ſanguis ſpiſſescit, quia fugantur particulae illius calidae, quae reliquis interpoſitae arcent contactum illarum immediatum et, quae hunc e veſtigio ſequitur, cohaeſionem, hoc eſt, fluiditatem ſanguini conciliant, ſicuti externus calor caeteris extra corpus fluidis eandem impertitur. Quo fit ut pleraque ex frigore ſpiſſescant, imo quædam penitus ſolidescant quorum moles augetur non ex materia qua-

dam ipſis accreſcente, ſed ex bullis aëris, poris illorum per condenſationem expreſſis; quippe qui per fugam caloris compreſſus magisque elaſticus factus exprimit ſe ex poris illis, interea coanguſtatis, ac ſimul exprimitur per auctum in poris contactum particularum; et, quia ſuperficies fluidi, primum conglaciata, tranſitum ejus impedit, hinc inde collectus multiplicata vi elaſtica ſe ſe explicat, inque bullas intumeſcit, ſuperata ibidem cohaeſione fluidi; hinc auget illius volumen, etſi re ipſa diminuatur; quod condenſatio dicitur, cui opponitur rarefactio ſive dimenſio corporum aucta ex praeſentia caloris, ſalva utcunque illorum maſſa.

§. 43.

Praeterea experimur ex ſenſu frigoris (qui quadantenus dolorificus eſt,) oriri partis ſentientis conatum ad contractionem, quae continuo ſequitur pro conſtitutione ac ſenſu partis. (§. 35. no. 9.) Communiter quidem robuſti et labori-

borioſi minus ſentiunt idem frigus, quam teneri et imbecilli. Similiter aſſueti frigori ab ineunte aetate minus ex eodem afficiuntur, quam inſueti, ut praeteream ſenes, valetudinarios et infantes, quorum corpora tenera valde ex frigore vexantur.

§. 44.

Contractionem ſolidorum ex ſenſu frigoris ortam (§. 43.) manifeſte cernimus in cuti, ex qua illam, retuſam plus minus in pinguedine, propagari ad partes ſubjectas indeque ad remotiſſimas, eundo ſenſim decreſcentem, quoad ſcilicet deſinat, per quam veroſimile videtur, annuente connexione partium, praeſertim vero membranoſarum ac nervoſarum, et, qui ex hac potiſſimum naſcitur, conſenſu in Medicina decantato. Enim vero non opus eſt repetere prolixe ex anatomicis, cutim eſſe membranam craſſam et validam, contextam ex fibris veluti tendineis, quibus frequentiſſime intexta ſunt extrema nervorum

et vaſorum ſanguiferorum; item propagationem unius partis ex alia, (§. 35. no. 6.) et acutum membranoſarum, (quae commune quoddam continuitatis ſive connexionis medium ſunt,) et nervoſarum partium ſenſum. Ex quibus veroſimillimum videtur, partes ſolidas affectiones ſuas ſecum communicare, propagata interventu ſpirituum (§. cit. no. 1.) contractione ac tenſione unius in alias. At plura de his diſſerere non attinet. Illud vero certum eſt, magnae ac prolongatae corporum refrigerationi ſuccedere, admiſſo calore, compoſitum quendam ex grato et ingrato ſenſum, univerſo muſculorum ſyſtemati, imo, judice ſenſu, medullis oſſium inhaerentem ac diu permanentem, qui ſummatim denotat praeceſſiſſe in partibus illis validam et prolongatam fibrarum contractionem ac tenſionem, hisque demum ſuccedere per calorem placidam remiſſionem, ſimilem quodammodo laſſitudini cedenti. (§. 39.)

§. 45.

§. 45.

Porro frigente corpore ſecretiones et excretiones plus minus retardantur ob aliquam humorum ſecernendorum ſpiſſitudinem (§. 42.) et coarctationem propaginum ſecernentium (§. 44.) quippe quae, ſicuti omnia vaſa capillaria, multas ſimul particulas non admittunt prae anguſtia, (quia aucta comparate ſuperficie augetur contactus, cohaeſioni praevius, atque adeo mora,) ſed paucas ſe invicem inſequentes mora quadam transmittunt, juvante ſucceſſionem harum in illas preſſione ſanguinis a corde et arteriis et adhaeſione, ſucceſſioni praevia, quam allicit denſitas ſive gravitas ſpecifica propaginum ſecernentium major illa humoris ſecernendi (§. 35. no. 4. 6. 12.). Igitur quia et humor ſeſecernendus aliquantum ex frigore ſpiſſeſcit, hoc eſt, particulae, ex quibus conſtat, magis inter ſe cohaerent, quam alias, et propagines ſecernentes paulum coarctantur; atque adeo utrinque augetur cohaeſio et mora ſucceſſionis (per

citata,) conſequens eſt ut ſecretiones et excretiones retardentur. Potiſſimum autem lenteſcit tranſpiratio, quod et pori cutis longe prae reliquis ſecretionis organis coarctentur (§. 44. 35. no. 8.) et humores tranſpirabiles plus, quam alii, ſpiſſeſcant ex copioſa caloris fuga. (§. 44. 42.) Interim diminutio iſta tranſpirationis quodammodo penſatur largiori urina et frequentiori depoſitione alvi, teſte experientia, ac inſuper ſpiritus retinentur, qui calente corpore largiter per tranſpirationem disſipantur. (§. 39.) Qua propter cum ob copiam lymphae et ſpirituum diverſam excuti in ventriculum et inteſtina, tum ob auctam quadantenus ex ſenſu frigoris contractionem horum (§. 44.) augetur appetitus facili cum digeſtione ingeſtorum; (§. 36.) item caeterae actiones vigent, in primis vero in robuſtis et laborioſis, qui et parum a frigore afficiuntur, et operoſo corporum motu adverſus illud fortificantur. (§. 43. 36. 37. no. 1.)

§. 46.

§. 46.

Igitur cum nautae ruſſici geniti ſint ſani, robuſti, laboribus et frigori innutriti (§. 34. 35. no. 15.) conſequens eſt, ut parum ex frigore afficiantur, hoc eſt, ut ſenſus frigoris ſit in illis obtuſus, et, quae hunc ſequitur, contractio ſolidorum moderata; (43. 35. no. 8.) item ut appetitus, digeſtio et caeterae actiones ſub frigore vigeant, retardatis modice ſecretionibus ac ſimul ſpiritibus retentis; (§. 45.) atque adeo ut probe ſub frigore nutriantur. Nam ex vigore appetitus, digeſtionis et reliquarum actionum elaboratur chylus fluidus et temperatus, (§. 36.) ex eoque ſimilis ſanguis; (§. 37. 35. no. 14.) ex modica retardatione ſecretionum et excretionum atque retentione ſpirituum augeſcit nutrimentum, (quatenus per largas conſumitur, (§. 35. no. 12. §. 37. 39.) accommodatum per conſequentem ex frigore ſpiſſitudinem (§. 42.) appoſitioni ſive adhaeſioni et cohaeſioni, quam juvat moderata ſolidorum contractio per

moderatam coanguſtationem pororum particularum ſolidatarum, ex qua augetur contactus et cohaeſio inter has et particulas alimenti, interea ſuccedentes in poros illos per cauſas ſupra dictas, (§. 35. no. 6. 13. 12.) dum ſcilicet corpora creſcunt: quomodo denſata ſolida per commodam nutrimenti appoſitionem evadunt robuſta. (§. 35. no. 8. 12.)

§. 47.

Balnea Ruſſorum (§. 34.) ſunt parva et humilia conclavia lignea fervidiſſimis vaporibus impenſe calefacta, qui erumpunt ex frigida in lapides candentes ſitulatim profuſa. Candefiunt autem lapides in fornace, quae in aliquo balnei angulo ſtruitur cum aliquot fornicibus parallelis, per medium ejus diſpoſitis, pro ſuſtentatione lapidum, atque duobus oſtiis, quorum inferius inſervit lignis fornaci indendis, quorum flamma cum fumo aſcendens lapides lambit et candefacit; per ſuperius aqua in lapides injicitur et per idem evaporat in balneum, quia

quia ſumarium, poſtquam ligna combuſta in carbones concidunt, operculo ſorinſecus clauditur non procul a contignatione, quo parvum interſit ſpatium lapides inter et operculum repellendis in balneum vaporibus accommodatum. In hujusmodi ergo balneis nudi ſuper tabulata, quae gradatim poſita ſunt, cubantes primum ſudant, injecta ſubinde aqua in lapides candentes, deinde ſcopis betulinis, quae humectae prius vaporibus per intervalla irrorantur, quo molles et aequabiles ſint, alterne fricant et caedunt univerſum corpus, ad tolerantiam quisque ſuam; tum aqua lavantur, urbani quidem tepida, vulgus frigida, hauſto ſubinde frigido potu. Quin etiam vulgus ita calentes et nudi, balneo egreſſi in aprico morantur, dum ſedatus fuerit aeſtus, etſi hyberno tempore glaciem calcent rigidoque frigore tententur. Inde reverſi in balneum repetunt aliquoties priora, toties nempe egreſſi, ac demum refecti et vegeti veſtibus induuntur, relicto balneo usque ad proximum diem octavum: enim vero niſi quidpiam

am obſtet, ſingulis octo diebus lavantur inde ab initio usque ad finem vitae.

§. 48.

Enarrata breviter Ruſſorum balnea (§. 47.) quamlibet horrida videantur, tamen ſaluberrima illis ſunt ob crudiorem victum et rigidam brumam: quippe quæ humiditate vaporum emolliunt et abſtergunt ſordes in cuti haerentes, laxant cutim et partes ipſi ſubjectas, apertis poris ac provocatis eo humoribus, diminuta ex relatione reſiſtentia; (§. 35. no. 7.) calore per poros cutis affatim corpus ſubeunte (§. 41.) intendunt inſigniter utrumque ſanguinis motum, rarefacto per illum aëre in ſanguine contento juxtaque vaſis ſanguiferis et caeteris ſimul partibus innoxie diſtenſis ac pro ritatis ad validam contractionem, (§. 35. no. 4. 9. 8.) utpote quae per ſe molles et flexiles, ac inſuper vaporibus relaxatae, facile diſtenſionem illam ferunt citra noxam. Accedit huc alterna per fervidas ſcopas frictio et flagellatio, (§. 47.) quae

quae mire intendit omnia grato quodam et calente dolore ad ipſas usque medullas oſſium quaſi penetrans. Hinc diſſolvunt potenter tenacitatem ſanguinis tam nativam ex alimentis, (§. 34. 35. no. 14.) quam adventitiam ex frigore (§. 45.) atterendo et diſſolvendo quoquo modo particulas ſanguinis majusculas et cohaerentes, diſpellunt lenteſcentes hinc inde humores, deproperant ſecretiones et excretiones (§. citat. et §. 37. 38.) potiſſimum vero ſudorem, quo largiſſime per laxatos poros cutis manante feliciſſime conſumunt colluviem et abundantiam humorum, collectas intra hebdomadem in ſanguine, qui proinde temperatus undique accommodatur ad omnes uſus, a natura praefixos. Quin etiam ſolida ſimul reficiuntur a rigiditate et tenſione, quam ipſis facesſunt partim humores hinc inde forte ſtagnantes, (§. 38.) partim frigus per moleſtam contractionem ex dolorifico ſenſu et retardato humorum ſpiſſeſcentium per illa tranſitu, (§. 42 - 45.) partim ſiccus fornacum calor per rarefactionem aëris et diſſi-

diſſipationem ſeri fluidioris, (49. 42.) quae commoda abunde teſtatur gratus quidam ex uſu balneorum ſenſus per univerſum corpus diffuſus, qui ſuccedit ingrato ex ſordibus et rigiditate cutis partiumque ſubjectarum (§. citat.)

§. 49.

Sed diſerta magis quam vera videbitur commentatio balneonum ruſſicorum (§. 48.) propter intenſum frigus cum intenſo calore reciprocatum; (§. 47.) quippe quod videbitur prima fronte non ſolum officere commodis, ſed etiam multa parturire incommoda. Verum incommoda evaneſcunt, ſalvis commodis, ſi quis conſideret:

1.) Frigus nocere auferendo ex corporibus particulas calidas. (§. 42.)

2.) Particulas calidas transmeare ex corpore calido in frigidum (§. 42.) ordinatim ſe invicem inſequentes, primum quidem contiguas inter calidum et frigidum, quae inſuperficie illius haerent; deinde proximas illis, ac ita porro ſequen-

quentes ſuccedere praeviis quemadmodum ordinatim ſubeunt corpus frigidum. Quorum illud oſtendit ſuperficies calidorum lente frigeſcens, meditullio adhuc tepido, hoc ſuperficics frigidorum lente incaleſcens, meditullio adhuc frigente.

3.) Tempus frigidae lavationis eſſe breviſſimum, calentis vero corporis refrigerationi inſumtum eſſe partem illius, quod in uſum balnei teritur.

4.) Adhaec particulas calidas longe celerius ſubire corpus ex vaporibus, per aërem balnei diffuſis, quam exeunt ex corpore in apricum et frigidum, atque adeo ad modum celeritatis et temporis longe plures intrare in corpus ſub uſu balneorum, quam ex eodem exeunt ſub refrigeratione et frigida lavatione (no. 3.). Horum alterum fit partim ex impetu particularum ignearum, accepto a ſcopis per frictionem et flagellationem, (§. 47.) qui valde accelerat introitum illarum in corpus; partim ex tenacitate et gravitate ſpecificae maſſae ſanguineae, longe ſuperantibus illas aëris. Quae ideo, maſſa nempe ſanguinea ac per easdem ratio-

nes

nes ſolida, et copioſe alliciunt particulas calidas et diu detinent ſibi implicitas. (§. 35. no. 4.) Alterum vero evenit ex rationibus contrariis.

5.) Accedit his (no. 1.-4.) robuſta corporum, de quibus ſermo, conſtitutio (§. 36. no. 15.) et conſuetudo a nativitate contracta, (§. 47.) quae mirum quantum moderantur frigus (§. 43. 36. no. 1.)

6.) Igitur manifeſtum jam evadit frigus calentibus ex balneo corporibus ſuſceptum in aprico (§. 47.) non nocere ipſis, quia nonniſi partem particularum ignearum forinſecus ingreſſarum aufert, (no. 1.-4.) reliquis per corpus diſtributis, quae una cum aliis, a ſanguinea interea explicitis, (§. 35. no. 1. 6. §. 36. no. 1.) cum noxiam ipſius ſanguinis condenſationem arcent, frequentiſſime ipſi interjectae, (§. 42.) tum contractionem ſolidorum (§. 44.) moderantur, conferente plurimum relaxatione illorum a vaporibus (§. 48.) et caeteris conditionibus comprehenſis. (no. 5.)

7.) Item

7.) Idem (no. 6.) judicandum de aqua frigida calentibus in balneo corporibus affuſa, (§. 47.) quae plures quidem particulas calidas elicit ex illis ſub idem tempus quam aer frigidus; (no. 4.), verum laedere nequit, quia brevi tempore corpora tangit, (no. 1. - 6.) ambiente interea illa calore. (§. 47.)

§. 50.

Magis forte metuendus eſt frigidus potus in balneis uſurpatus, (§. 47.) quod alias obſervatus ſit produxiſſe ſaevam cardialgiam, pleuritidem, colicam, atque id genus alia mortifera mala. Verum ſalva experientiae veritate, intenſus partium affectarum calor et frigus, videntur per ſe non ſufficere, alioqui mala illa in quolibet individuo calente ſemper orirentur ex potu frigido, quod experientiae contrarium eſt. Quapropter magna potius incuſanda eſt teneritudo partium affectarum a frigore ſolicitata, quam intenſus illarum calor et frigus, quae ſibi invicem contraria ſe mutuo

H tem-

temperârent. (§. 42.) Interim non inficias ibo ſenſum ab iisdem frigidis excitatum (§. 43.) longe acutiorem eſſe in partibus calentibus, quam in iisdem naturaliter tepentibus. Sed enim cum acutus ſenſus operetur pro conſtitutione partium affectarum (§. 35. no. 9.) non pugnat, ſed concordat cum allegata illarum teneritudine. Ex qua quippe ſenſus frigoris, per aeſtum partium acutus, magis intenditur,(§. 36. no. 1.) ac vel ſollicitat illas ad validam et prolongatam contractionem, (§. 35. no. 9. 8.) vel, ſi debiles fuerint, excitat in ipſis niſum magnum quidem ſed ſemi caſſum, (ſeu quem ſequatur contractio debilis aut, ſi mavis, impar) et hic moleſtam tenſionem (§. 35. no. 11.): utrobique fluidis, quae in partibus continentur (§. 35. no. 6.) ſpiſſesſcentibus ac ſubinde interceptis ex copioſa caloris fuga in frigidum potum. (§. 42.) At plura de his infra dicendi locus erit. Hic vero repeto corpora, de quibus ſermo, ceu robuſta et frigido in balneis potui aſſueta inde ab infantia (§. 35. no 15. §. 47.)

no-

noxam ex illo non concipere niſi fuerint aliunde debilitata. (§. 49. no. 1.-6. §. 47.)

§. 51.

Ita ergo ingeneratur corporibus nautarum ruſſicorum ingens vigor ac robur, (§. 34. 36. - 50.) quibus bona ex parte materiam ſuggerit panis uter ſecalinus et omnis ex hordeo et ſecali confectus ſpiſſe cibatus, ſatura vegeti, quo pollent, appetitus babula ac ſubſtantifica corporum nutrimenta, quando caetera, quibus communiter veſcuntur, parum nutriunt. Qualia ſunt legumina, olera vulgaria, radices tenuioribus culinis uſitata, fungi, cucumeres atque id genus alia; item piſces, quibusdam frequentes aliis rariores. Caro vero, lac, butyrum, ova, caſeus et alia talia, virium abundantia, rarius comeduntur ob crebra jejunia. Caeterum magnas ineſſe vires vel in pane atro ſecalino, vel in pulmentis hordeaceis ac ſecalinis, abunde probat ſpiritus et cereviſia ubertim

ex illis proveniens, ſi fermententur, ut mos eſt. Qua ſcilicet ſub fermentatione evolvuntur particulae ſalino - ſulphureae, diſſoluta atque liquata gelatinoſa maſſa, in qua copioſae deliteſcunt, et aliter, quam antea, cum aqueis ac aliis quibusdam ſociis mixtae conſtituunt liquores illos. Quod ipſum ſi utcunque fiat in corporibus, iſtius modi victu veſcentibus, non mirum eſt probe illa nutriri atque ingens robur acquirere. (§. citat.)

Caput IV.

De conſtitutione morboſa nautarum ruſſicorum.

§. 52.

Robur illud nautarum ruſſicorum (§. 51.) maturius cronſtadii collabeſcit ac paulatim degenerat in mala, ſibi comparia, ut ex morbis et obſervationibus ſupra allatis liquet. (§. 1. - 33.) Eorum autem longinqua cauſa eſt partim aer,

aer, partim errata quaedam in ſex rebus non naturalibus. Ex quibus ſolida quidem fiunt laxa ſeu debilia, fluida vero ſpiſſa atque cacochyma, ſuccedentibus interea contumaciſſimis obſtructionibus, ex quibus denique germinat ſeges illa malorum. De ſingulis ſeorſim dicam exorſus a debilitatis et obſtructionis cauſis ſummis, quas medici vocant immediatas.

1.) Debilitas, (cui ſynonyma eſt laxitas) ceu oppoſita robori, naturaliter aeſtimatur ex minuta contractione, (§. 35. no. 8.) evenitque in fibra compoſita, aut ex corporatione cavitatis, aut ex parvo particularum, parietes componentium, numero; qui porro vel nativus eſt ſive a natura ſuppeditatus, vel adventitius ſive a majori diminutus; dimotis quibusdam particulis per aliquam cauſam, cohaeſione illarum fortiorem. Prima debilitatis ſpecies ſolennis eſt ſenio, acciditque ex lenta fluidi per fibrae cavum fluentis adhaeſione et cohaeſione continuata. (§. 39.) Secunda, quibusdam propria, ſequitur diſpoſitionem corporum a parentibus acceptam.

 Ter-

Tertia, quibusvis accidere poteſt, aut ex nimia ſubtilitate ſive, quae eo redit, parva nimis gravitate ſpecifica fortique impetu particularum fluidi, per fibrae cavum manantis, aut ex magna parietum diſtenſione vel tenſione. Prima enim cauſa preſſione ſanguinis juta dimovet particulas conſiſtentes ex interſtitiis ſolidatarum, (§. 35. no. 6. 12.) imo continuata forte multas quoque ſolidatarum divellit ac ſecum abrepit aliorſum. Poſtea vero dimovendo impenſe easdem particulas a ſe invicem ampliandoque interſtitia illarum, (§. 35. no. 7.) et conſiſtentium non paucas diſpellit per fluidum intermeans,& ſolidatarum contactum diminuit; atque adeo utraque diminuendo contactum et cohaeſionem omnium, quae fibram naturaliter conſtituunt, diminuit ejusdem elaterem et potentiam ſe contrahendi, (§. 35. no. 8. 10.) eoque ipſo inducit debilitatem. Poſtremo his annumeranda eſt obſtructio cavitatis a fluido ſtagnante ſive motu privato, quia ex hac ſimiliter impeditur coarctatio parietum ſeu contractio, (§. 35. no. 8. 11.)

8. 11.) atque ex corporatione cavitatis, quacum eatenus convenit.

2.) Obſtructionem (no. 1.) autem parit vel contractio parietum prolongata aut debilitas, vel craſſitudo et ſpiſſitudo humorum. Contractio parietum prolongata, quia coarctat cavitatem (§. 35. no. 8.) quam parietes fingunt intercipit fluidum, interea tranſiturum per cavitatem (§. citat: no. 6.), quod, niſi per vicinos ramos (§. citat: no. 5.) celeriter defluat, ſubſiſtit et ex natura ſua ſpiſſeſcit (§. citat: no. 5.), quia refluere nequit, imo continenter presſum a ſubſequente (citat: no. 6.) magis magis compingitur et impingitur, refluente interea fluidiori per vaſa lymphatica ac eo ipſo confirmatur obſtructio, licet poſtea parietum contractio remittat per fluidum impactum, a quo parietes paulatim diſtenduntur et rigeſcunt (§. citat: no. 7,). Parietes vero debiles, quia parum renituntur (no. 1.) adverſus impetum fluidi per cavitatem illorum fluentis, parum etiam illud propellunt; (§. citat: no. 8.) quod proinde ſingulis

cordis contractionibus majori quantitate influit, quam effluit; hinc paulatim collectum ibidem ſtagnat, ſpisſeſcit ac mododictas ſubit mutationes. Fluidum denique crasſum et ſpisſum ſtagnat in cavitate fibrae ob ſupra dictas rationes (§. 45.). Dicitur autem fluidum crasſum, quatenus majuſculis conſtat particulis, ſpisſum vero, quatenus particulae ejus pluſculum inter ſe cohaerent. Caeterum liquet obſtructiones inchoare in capillaribus indeque pergere ad majuſcula, capillaribus obſtructis continua, cum ſcilicet a memoratis oriuntur cauſis. Si quidem praeter illas, aliae adhuc recenſentur a pathologicis, quas referre non operae pretium duco, ut pote ex illis primitus dependentes.

§. 53.

Coelum Cronſtadii (§. 52.), quod eſt inſula humilis et paludoſa, raro ſerenum et calidum, ut plurimum nubilum, nimboſum et frigidum eſt. Ex quibus ſtatuo, aerem cronſtadii paucas

in

in poris ſuis continere particulas calidas (§. 42.), multas vero humidas, uliginoſas terreas & ſalinas ponticas; quarum alias recipiat ex ſolo cronſtadii et ambiente omni elevatas, alias ex vicinis regionibus, item ex mari per ventos advectas. Unde porro conſequens eſt, ut ille ſit cognominandus ex effluviis illis ac ſimul craſſus et gravis. Conſtat enim ex phyſica, quod et qualitates aeris, generatim ſpectati, dependeant ex natura et copia effluviorum, quae continet, et proprietates, nempe gravitas et elater, varient ſeu modo creſcant, modo decreſcant. Qua de cauſa plura de ſingulis aeris cronſtadienſis qualitatibus disſerere ſupervacaneum judico, cum praeter phyſicam, communis etiam medicorum doctrina inſtar decreti ſtatuat aerem humilium et paludoſarum regionum esſe humidum, craſſum et gravem. De ponticis vero ejus effluviis nonnulla phoenomena commemorabo, ad illuſtrationem illorum idonea. Per hujus modi autem effluvia intelligo ſalinas acidas particulas, aëri inter-

terfuſas, ac per admixtas ſibi uliginoſo terreas factas auſteras.

1.) Primum iſtius modi particularum (§ 52.) Specimen exhibet aphronitrum, quod copioſe ſatis colligitur circa loca, in quibus asſervatur calx viva. Qui etiam pasſim accreſcit parietibus lapideis plus minus humidis, pluviae non patentibus. Quale cum in palatiis quibusdam, quae hic loci exſtant, tum in anatomico noſocomii theatro obſervavi ineunte vere anni 1732. Quod erat autumno calcatum ac per hyemem non calefactum.

2.) Affinis eſt aphro-nitro (no. 1.) humor quidam hinc inde ex lateribus canalicularum manans, qui colore et conſiſtentia ſimilis eſt aquae, dilutam ſapit ſolutionem vitrioli, ex herba Thee aut infuſo ejus nigreſcit, ad aliquot uncias potus dicitur laxare aluum, mihi cardialgiam peperit, ſed aluum non movit. Fluit autem humor hic vitriolicus ex primo terreni ſtrato, quod udum, limoſum, nigricans ac vix ulnam craſſum incubat terræ ſubfuſcae compactæ mere-

que

que bolari, quae tametſi variis in locis profunde ſatis effoſſa eſt, tamen nusquam continere viſa eſt uenas metallorum, aut aquarum, praeter arenoſam glebam ac lapides duros ac ſolitarios, hinc inde ipſi interjectos. Ex quibus colligo, convenienter phoenomenis praecedentibus (no. 2.) humorem hunc non exhalare ex profundo terreni ſinu, ſed unice transcolari ex primo ejus ſtrato, largiente aëre acidum, quod inſinuetur vel in aptam ſibi terram primi ſtrati, vel in fimum et urinam animantium quae pasſim aggeruntur foecundandi & exaltandi ſoli cauſa, quod per ſe macrum et humile eſt. Caeterum non repugnat acidum hoc in aëre conjungi cum effluviis uliginoſo-terreis (§. 52.), quae dimittat cum in alia incidit corpora, ſibi magis accommodata, quale quoddam non rarum eſt in chymia.

3.) Conſentiunt cum ſuperioribus (no. 1. 2.) flores ſalis armoniaci, qui (ſublimantur hic in capella ferrea impoſito capitello vitreo) ſi perannaverint in officina noſtra, vitro, in quo aſſer-

aſſervantur, aluta operto et colligato de more, convertuntur aliqua ex parte in tenerrimum quoddam vitriolum, quod mole cryſtallina, colore coeruleo viridi et ſapore mere acidulo facile dignoſcitur a reliquis florum micis, non vitriolatis, quae manent coloris ex flavo albicantis, ſaporis fraccidi et odoris urinoſi. Atque hae ſunt flores ſuperiores ſive puriores, illud conflatur ex inferioribus et, quod verſimillimum eſt, ex particulis quibusdam capellae ſub operatione corroſis abacido florum ac una elevatis, qui flores ſemi martiales et notabiliter alcalici ob acidum transgresſum ex his in miculas capellae, imo etiam in ipſam capellam, cum tempore ſaturati ex adventitio aeris acido degenerant in vitriolum.

4.) Quod ſi quis qualitatibus aëris expoſitis (§. 52. et no. 1. - 3.) addat obſervationes de ſcorbuto, ſupra commemoratas (§. 8. 10. et no. 1, 2.) veluti effectus quosdam ſpeciales ejusdem aëris, is certior de ſingulis illarum futurus eſt. Enim vero ſcorbutum originem ducere

ducere ex iſtius modi aëris qualitatibus aput practicos in confeſſo eſt, annuente experientia, petita ex incolis regionum borealium humilium et mari vicinarum, quibus ſcorbutus frequens et endemicus eſt morbus.

§. 54.

Igitur cum iſtius modi aër (§. 53. no. 1. - 4.) contigit cutim, adherent ipſi effluvia, quae continet, ac una cum effluviis idem aër, uude cutis per ſenſum frigoris conatur quidem ſe ſe contrahere ſed prae adhaerente ſibi humiditate et aliis effluviis laxata quadantenus arcetur, atque adeo continuato niſu ſemicaſſo ac plus minus dolorifico quodammodo tenditur (§. 43. 35. no. 11.) relaxatur et debilitatur (§. 52. no. 1.), atque una cum illa partes ſubjectae (§. 44.), tanto quidem magis, quanto plus ſeroſae humiditatis circa partes illas ex ſanguinis maſſa congeritur, ſpisſeſcit et diſtendit ipſas (35. no. 6.); eo quod et ſpiracula cutis qualitercunque obturantur

ab

ab effluviis illis; et particulae humorum calidae a frigore eliciuntur (§. 42.), quibus cum tantum tenuior transpirationis materia exſpirat. Accidit his etiam illud, quod iſtius modi aëer ſaturatus quaſi effluviis, non facile alia admittit, praeter calida, quibus comparate caret (§. 35. 42.). Porro idem aër inſpiratus deponit effluvia illa in ore, bronchiis et pulmonibus; quorum alia laxant partes illas ac paulatim accumulata infarciunt, alia deglutita cum ſaliva et alimentis debilitant uentriculum et inteſtina, partim applicando ſe patietibus illorum, partim infarciendo glandulas et oſtia in illis praeſentia. Inprimis vero mixta cum illorum humoribus (§. 36.) ſpisſant ipſos. Hinc impediunt digeſtionem ciborum et chylum efficiunt lentum (per rationem contrariam §. 36.); quo modo aër iſte tam per chylum, effluviis ſuis fermentatum, quam per caetera jam explanata, ſpisſat masſam ſanguineam (§. 35. no. 14.) laxat ſolida totaque corpora aggravat, premendo magis illa gravandoque aërem in illis contentum (§. 35.

no.

no. 3.). Vnde coelo nubilo, nimboſo et frigido exiſtente, ſingula corporum humanorum membra gravantur, appetitus minuitur, pulſus cordis et arteriarum langueſcit, animus triſtis ſecum habitat, atque, ut paucis dicam, cum corporis tum animi actiones torpent. Quae ſummatim indicant, ſanguinem humores et ſpiritus lenteſcere tarde que moveri, cor, arterias et caetera ſolida parum ſe ſe contrahere, atque adeo illa ſpiſſeſcere, haec relaxari (§. 35. no. 2. §. 52. no. 1.) ex iſtius modi aëre ac ſimul diſponi ad obſtructiones (§. 52. no. 2.)

1,) Effluvia aëris ſingulis corporis partibus, quas tangunt adhaereſcere. (§. 55.), atque in iisdem relinqui, aëre aliorſum forte diverſo, ſuppono ex gravitate illorum ſpecifica, proxima gravitati horum, cum illa aeris omnium poſt gravitatem ignis ſit minima. Ex his enim ſequitur effluvia aeri et corporibus noſtris interjecta, longe minus cohaerere cum illo, quam cum his (§. 35. no. 4.). Interim ſi vel ratio a praecognitis non ſuppeteret, phaenomena quotidiana ſuf-

fecerint;

fecerint: exemplo ſit minima particula ſenſibilis ejusdem cum effluviis ſubſtantiae, quae ſi tantillum humet, cuilibet corporis parti adhaereſcit, cum aere non ventilato, decidat; idem ſignificat inſpiratus olens aer, qui mox exſpiratur inolens, retentis ſcilicet in corpore effluviis olentibus (§. 53.)

§. 55.

Explanati effectus aeris (§. 54.) in incolis cronſtadii, qui temperate vivunt, nec ſaepe aeri exponuntur, longe minores ſunt, quam in nautis. In illis enim effluvia, ex quibus effectus illius pendent (§. citat:), habitum corporum, veſtibus probe munitum, parum afficiunt, et ſigravius affecerint, ſiccus aedum et lecti calor interveniens vim eorum noxiam lenit et cohibet. Quae ſimiliter cum in aliis partibus, tum in primis viis ſupprimitur partim efficacia humorum, partim vi melioris cibi et potus. Quo fit ut hujus modi cronſtadii incolae proſpera ſatis fruantur valetudine, raro

raroque morbis conflictentur gravioribus, ſecus ac nautae, qui frequentibus et longe gravibus, obnoxii ſunt; quia et impetus aeris nimboſos et frigidos crebro ſuſtinent, raro ſuppetente adverſus illos calore (quae conditio communis ipſis eſt cum omnibus totius orbis nautis), et errata quaedam graviora ſubinde committunt; quae effectus aeris puſillos fovent et promovent, ſuppeditante materiam victu tenaci et craſſo (§. 5. 1.)

§. 56.

Erratorum (§. 55.) unum eſt majuſculus ſpiritus vini uſus ex communi nautarum borealium more derivatus. Qui propterea evadit noxius, alioquin opportune ac modice potus per quam utilis his in terris ob inclemens clima et crudiorem victum, cujus et digeſtionem promovett, et flatulentiam disſipat, ſuppeditando ipſi ſpiritum ſive particulas activas et penetrantes, quales crudo victui deſunt, aut ſi inſunt, ut

in pane atro et pulmentis, tenacitati illius implicitae deliteſcunt. (§. 51.) Hujus modi autem particulae ſunt ſalino ſulphereæ, aqueis, quas non acte ambiunt, temperatae. Quae ſpiritu vini modice ſub paſtu poto confuſoque in ventriculo cum alimentis adhaerent (§. 35. no. 4.) partim villis ventriculi partim alimentis, quarum illae irritando modice villos acrimonia ſua augent contractionem ventriculi ac ſimul effluxum lymphae gaſtricae; hae calore ventriculi diſcretae ab aqueis, ſibi ſociis, penetrant una cum illo in poros particularum alimentariarum, rarefaciunt aerem in illis contentum; atque adeo cum poros illarum diducunt viamque aperiunt fluidis, quae alimentis interfuſa ſunt, tum attritum ex contractione ventriculi auctum intendunt. Unde laxata opportune cohaeſione particularum alimentariarum promovetur digeſtio cibi crudioris et flatulentia una diſſipatur (§. 36.). Quin etiam chylus ex eo generatur fluidus ſatis et efficax, quod gemino foecundetur ſpiritu, adven-

ventitio ex ſpiritu vini, et nativo ex alimentis, liberius per adventitium evoluto, qui eundo per ſolitas ſibi vias magis magisque elaboratur et ſoecundatur, (§. 36.) ac denique iterato circulatus commutatur in ſanguinem laudabilem. (§. 35. nro. 14.)

§. 57.

Sed laudato uſui ſpiritus vini, (§. 56.) contrariari videtur coagulatio ſanguinis et ſeri, item ſuppreſſio fermentationis liquorum fermentantium ab affuso ſpiritu vini. Ex his enim deducitur, digeſtionem, (quae ſpecies eſt fermentationis) retardari et cohiberi. Phoenomena quidem agnoſco, ſed rationes et conſequentias reprobo. Primum enim phoenomenum, cum experimentum inſtituitur in animali vivo, provenit a prolongato ſpasmo cordis et vaſorum ſanguiferorum, quem parit ſubauſtera et urens ſpiritus vini, per venas in ſanguinem infuſi, acrimonia, accerba irritatione continuata. (§. 35. nro. 9.)

Ex eo enim ſupprimitur ſanguinis et humorum circulatio, ſponte natura ſequente coagulatione illorum; (§. 35. nro. 3.) quamvis non inficias iuerim eandem augeri a ſpiritu vini, quod particulae huius interpoſitae copioſius particulis illorum quieſcant, aucto eatenus contactu et cohaeſione ad modum particularum ignearum, quae cum aliis adunatae augent contactum et cohaeſionem illarum, ſecretae vero ab illis motaeque pro natura ſua diſſolvunt obvias ſibi quaſcunque. (§.35. nro.1. §. 39.nro.1.) Eadem quoquae ratio eſt humorum extra corpus coagulatorum ex ſpiritu vini. Suppreſſio vero fermentationis liquorum fermentantium temporaria eſt, debeturque partim interpoſitioni particularum ſpiritus vini inter illas liquorum diverſas, qua cohibetur contactus atque adeo actio illarum in ſe invicem; partim aeri plus minus compreſſo ex frigiditate. (§. 42.)

§. 58.

Ita quidem prodeſt ſpiritus vini. (§. 56.)

(§. 56.) teneris autem et imbecillis, qui tenuiore utantur victu, non conducit, niſi forte hyberno tempore crudioris ergo cibi et flatuum, at non ſimplex, ſed ſuaveolente quadam planta et ſaccharo (quo acrimonia illius retunditur) ſatis imbutus. Nam huiusmodi hominum ventriculus tener ac imbecillus tenuique muco oblinitus valde afficitur ab acrimonia illius. Ex qua quippe ſenſus naturaliter acutus (§. 36. No. 1.) exacuitur cum intenſo ad contractionem niſu, lanquente ipſa contractione, unde moleſta tenſio (§. 35. nro. 11.) et debilitas (§. 52. nro. 1. 2.). Incommoda vero iſta (ut proprius mihi ſenſus dictat, quoties deguſto ſpiritum vini ad praecavendam noxam ex tetro et cadaveroſo foetore,) communiter ſequi ſolet cardialgia, dolor et ardor ventriculi, aliqua digeſtionis remora (cohibito nempe effluxu lymphae gaſtricae ex moleſta nervoſae tunicae contentione atque crispatione villoſa), cephalalgia ſtupor capitis et id genus alia, quae tanto acutiora ſunt, quanto vel ventriculus natura tenerior aut imbecil-

 lior,

lior, vel ſpiritus vini rectificatior fuerit, preſertim quando hic abundat oleo, quod ventriculo infeſtum eſt.

§. 59.

Magis vero nocet ſpiritus vini, ſi majori quantitate bibatur. Quippe qui adhaerendo confertim tunicis ventriculi (§. 57. 58.) abradit per particulas ſuas ſalino ſulphureas mucum illius defendentem et villos, ſimul etiam diſpellit ex illis particulas conſiſtentes et forte nonnullas ſolidatas; hinc debilitat ſummopere ventriculum (§. 52. no. 1.), ut ut robuſtus fuerit. Imo ſi quando immoderatius bibatur, quodam modo amburit. Unde ventriculi bibacum, ſi brevi poſt copioſum potum moriantur, ut plurimum interius glabri et ſubrubentes ſunt, etſi quidam prae contractione (§. 17.) rugis abundant, quae phaenomena denotant abraſis muco et villis tunicam villoſam (quae tenuis et poroſa eſt), et nerveam eſſe quodammodo ambuſtas, aut ſi mavis aliter loqui, inflammatas. Cui apprime

favet

ſavet aduſtio faucium ex rectificato vini ſpiritu, quae, judice ſenſu, ſimilis eſt uſtioni ex igne. Similiter ſpiritus vini afficit inteſtina, quae tangit exacutus a bile ſibi in tranſitu admixta. Imo cum haec et alia ventriculo, et inteſtinis faceſſit, tum ſpiſſat potenter lympham gaſtricam, ſuccum pancreaticum, bilem et reliquam inteſtinorum lympham. Atque id efficit partim activis illis ſalino-ſulphureis particulis, quae ut volatiles et caloris impatientes, experientia teſte, cito in maſſam ſanguinis tranſeuntes ſecum abripiunt fluidiores et volatiliores illorum; partim aqueis, relictis in ventriculo et inteſtinis, quae tenaces et mucidae, abundant in ſpiritu frumenti non rectificato, qualis a nautis bibitur. Nam ſi hujusmodi ſpiritus deſtilletur, relinquit in veſica phlegma mucoſum et tenax, dimidium circiter ſui, quod, niſi denuo fermentetur, addita modica farina de ſimili ſemine, non amplius ſpiritum ſuppeditat. Verum non ſolum ſpiritus frumenti, ſed etiam alii liquores inebriantes participant de hujusmodi muco, unde

vappa et phlegma a deſtillatione reſiduum, ſi nempe evaneſcant, aut deſtillentur; praeterea cruditates, ſi largius hauriantur, ex quibus nauſea, vomitus, ructus, ſcreatus, averſio liquorum et quae ſunt alia crapulae incommoda, quorum tamen bona pars debetur, lymphae faucium et ventriculi confuſae cum mucoſa liquorum portione.

§. 60.

Ergo laeſis ex copioſiori vini ſpiritu praecipuis chylificationis organis et humoribus(§.59)univerſa compages corporum laeditur cum per chylum depravatum tum per ipſum ſpiritum vini in ſanguinem advectum et circulantem, quatenus particulae illius agunt pro natura ſua. Earum enim ſalino ſulphureae atterunt potenter ſulphureas ſeu oleoſas ſanguinis, convenienter phoenomenis extra corpus obviis, eoque diſturbant ſpiritus (§. 35. no. 1.) explicant mediate aerem in eo contentum, diſtendunt vaſa et ad contractionem ſolicitant (§. 36. no 1.). Proinde cum his de cauſis, tum interpungendo fibras, per

per quas particulae illae meant, dimovent et diſpellunt ex illis particulas conſiſtentes imo continuato uſu, nonnullas quoque ſolidatarum (§. 35. no. 12.) praeſertim quando ſanguis abundat iſtius modi particulis, quale quoddam accidit, in febribus ardentibus, quarum illae, quae deliria ſecum ferunt, veluti ſpeciem quandam ebrietatis repraeſentant ſimilitudine ſymptomatum. Ceterum cum particulae illae ſint volatiles et caloris impatientes, cito ex corporibus evolant ſecumque auferunt calidas ſanguinis, perinde fugaces, et ſeroſas fluidiores (§. 52. 42.), relictis in eo ſociis mucidis (§. 59.). Quo circa ſanguis et humores, alioqui proni ad ſpisſitudinem (§. 35. no. 3.), fiunt ſpisſi et mucidi, viſcera vero et cetera ſolida relaxantur atque omni ex parte diſponuntur ad obſtructiones (§. 53. no. 1. 2.).

§. 61.

Noxas illas ſpiritus vini (§. 59. 60.) ſubinde excipiunt aliae, quas facesſit frigidus potus aqueus largiter hauſtus ad

 reſti-

reſtinguendam ſitim et crapulam, utpote qui ventriculum et inteſtina jamdebilitata (§. citat.), magis debilitat et quandoque enervat frequenti contactu et aliqua adhaeſione, item copioſo receſſu caloris. Ex quibus ſpiſſantur et retardantur humores in fibris partium illarum (§. 42.), continuante humorum affluxu (§. 35. no. 67.), atque contractione et propulſione lanquente per debilitatem (§. 52 no. 1.), et adhaerentem aquoſam frigidam humiditatem. Ex quibus porro ſequitur niſus ſemicaſſus moleſtae tenſionis et augendae debilitatis autor, (§. 35. no. 11.) dum ſenſus manet. Ad haec frigidus ille potus infeſtus eſt viſceribus infimi ventris, ſub quibus comprehendo et glandulas ventriculi, inteſtinorum et meſenterii, nec iis oeſophagi excluſis, quae viſcera magis debilitat et diſponit ad contumaces obſtructiones mediata caloris humorum, per illa fluentium, diminutione et aliis modi dictis (per citata). Quin etiam transmeante potu illo in ſanguinem increſcunt adhuc mala illa viſcerum pro natura potus et cruditatum

a ſpi-

a ſpiritu vini generatarum (§. 59); quas ille (velſaltem partem illarum), acceſſu caloris motuque partium continentium (§. 36.) actus diluit ac ſecum vehit in ſanguinem. Qui propterea fit aquoſus, tenax et augendis memoratis debilitatis et obſtructionum cauſis aptus (per citata).

1.) Mediatam quidem caloris fugam ſive tranſitum ex viſceribus per ventriculum in frigidum potum (§. 61.) ſuppono ex phaenomenis cum aliis, tum iis, quae crebro experimur, quum denſis veſtibus induti asſeribus aut lapidibus frigidis inſidemus, brevi ſcilicet frigus percipimus; prolongata ſesſione increſcens, quod procul dubio venit à fuga caloris ex corporibus noſtris in frigida illa corpora (§. 42.). Quin idem ſignificant dolor colicus et borborigmi, qui ſubinde in tenerioribus excipiunt hauſtum frigidum, quique oriuntur a ſpaſtica inteſtinorum contractione; et haec partim ex ſenſu frigoris (§. 43.), partim ex reſiſtentia aëris per condenſationem diminuta (§. 42.). Atque haec ex tranſitu coloris per inteſtina et ventriculum in frigidum potum; hinc pro-

pul-

pulſus impetuoſe idem aer ac in parietes inteſtinorum alliſus ſtrepit, et, quia interea rareſcit ex calore vicinarum partium, diſtendit inteſtina, nondum ſpaſtica contractione remiſſa, unde major et dolor (§. 35. no. 7. 11.) et murmurans per inteſtina fluctuactio aëris, quoad vel hic ſurſum erumpat, vel inteſtina fomentis aut alio medicamine idoneo roborata, cedente paulatim ſpaſmo, ſuperent reſiſtentiam illius. Igitur ex his atque aliis talibus conſentaneum eſt rationi, ut calor, qui univerſa et ſingula corpora, quantumvis compacta, penetrat, tranſeat ex una parte corporis calente in aliam minus calentem, praeeunte ſcilicet contactu partium (§. 42.)

2.) Pareſim vero inteſtinorum generari a frigido potu (§. 61.) conjicio ex nimia illorum mollitie et gangraena, vel nullo, vel perquam modico praecedente illas dolore, atque cita, imo aliquando inopinata morte ſubſequente. Quae propterea videntur effectus potius pareſeos, quam inflammationis. Enim vero ſenſum ad aliquem tantum gradum acui

ac

ac demum ſe remittere, violata nimium parte, ratio dictat convenienter experientiae; praeſertim quando pars eſt membranacea, mollis tenuis et admodum tenera, quales ſunt ventriculus et inteſtina; quae ſane longe facilius enervantur, quam membra muſculoſa, quibus tamen non rara eſt enervatio ex frigore aut aqua frigente, quae proinde recte tranſferri poteſt in ventriculum et inteſtina, aliunde debilitata; quorum illum immediate, haec proxime impetit et infeſtat copioſus frigidus potus aqueus (no. 1.) Quod ſi haec ita ſe habent, ut quidem veriſimillima videntur, proveniunt ex nimia partium illarum et nervulorum, qui illis inſeruntur, relaxatione et obſtructione, quibus cum jungatur ſtagnatio ſanguinis et humorum ubertim per relaxationem affluentium expreſſione a corde et arteriis remotioribus (§. 35. no. 7. 6.). Cur autem magis tenuia corripiantur inteſtina, quam craſſa atque ventriculus, videtur in cauſa eſſe ſumma illorum teneritudo, graviter in anteceſſum afflicta ex particulis ſpiritus vini ſalino ſulphureis, exaſperatis a bile. (§. 59.)

§. 62.

§. 62.

Multum quoque nocere videtur nautis ruſticis calor et graveolens qnaedam humiditas domuncularum, in quibus habitant hic loci. Illam emittit fornax juſto quidem fumario inſtructa, ſed culinae vicem ſubiens (§. 41.); hanc pavimentum conſtructum ex duplici ſerie asſerum, quibus interponitur terra arcendi frigoris gratia, qua et tabulata ſuperne conteguntur ob eandem cauſam. Quo circa terra illa nempe pavimentis interpoſita, quam libet humiditatem et alias minutias, putredini aptas, pertinaciter imbibit ac mora fit ſqualens, juvante inferno pavimenti ſtrato, quod commercio aëris per oppoſitam circum parietes domus terram privatum et humiditate affectum cito putreſcit. Accedit incommodo huic nidor fornacum et ollarum, in quibus cibi coquuntur. Earum enim novae paucos intra dies humorem pinguem imbibunt ac dein, cum incaleſcunt, gravem exhalant foetorem; qui, ſi fornax claudatur, prunâ nec dum favillâ operta, aut favilla con-

contingente ollas, degenerat in encauma. Porro et multitudo habitatorum per anguſtiam et humiditatem domuncularum, non parum confert augendae graveolentiae. Quippe in una quaque habitant conjuges cum gnatis, et, ſi gnati defuerint, cum aliquot commilitonibus, qui convictus cauſa ſociantur; hujusmodi ergo humiditas diffuſa per aërem domuncularum, (qui clauſus prope haeret hyberno tempore), transfunditur in habitatores; atque adeo laxat illorum cutim et partes illi ſubjectas, infarcit bronchia et pulmones, ac inſuper putredinoſum quendam lentorem ſanguini inducit per chylum ſecum fermentatum (§. 54.). Hujus modi quidem lentorem generari poſſe in corporibus dictis concipio ex natura humiditatis hauſtae, inertia humorum primarum viarum, item calore nativo et motu remisſo (§. 51.). Quorum priora plus minus fovent, et forte promovent, qualitates humiditatis hauſtae convenienter phaenomenis, quae extra corpus eveniunt; poſterius nempe mucoſum cibi temperamentum, facile illas ſuſcipit per

prior

priora. Quae ideo aſſimilant ſibi quodammodo particulas cibi, arcendo evolutionem et aeroſin ſalino ſulphurearum, ex quibus pendet efficacia chyli et ſanguinis (§. 51. 36. 37.). Quod ſi quis dubitet de putredinis in corporibus vivis exiſtentia, eum convincunt ulcera faede ſanioſa, ex edentia, caries, tabus gingivarum, gonorrhaea, lues venerea oſſa corrodens, ructus et vomitus ova putria redolentes, ſudores foetidi fluores deterrimi ſpachelus et quae ſunt aliae putredinis in corpore vivo exiſtentis notae, congruentes documentis, quae graviſſimi auctores in medium protulere. Inſtar omnium vero ſint duo celeberrimi viri, Lanciſius et Ramazzinus, quorum uterque epidemiarum, quas tractant, cauſas deducit ex putredine aquarum ſtagnantium, translata per aërem in corpora humana.

§. 63.

Praeterea humiditas illa et calor domuncularum, ſaturando quaſi aerem in illis concluſum (§. 62.), multa alia pro-

procreat mala habitatoribus. Sic enim aer ille ſemiplenus ante inſpirationem particulis calidis et aliis (quas ibidem calore ſemiplenas ſuppono), ſub inſpiratione ſaturatur calore viarum, priusquam pulmones attingat, quia tenui irruit columna, quae citius incaleſcit, quam craſſa. Hinc paucas per pulmones particulas calidas recipit a ſanguine tranſeunte. Qui ideo minus condenſatur in pulmonibus, quam fert capacitas ſiniſtri ventriculi, cum ob aeſtuoſum aerem, (ex quo quippe rare fit et majus occupat ſpatium, (§. 42.) plus debuiſſet condenſari. Ergo non tanta quantitate refluit ex pulmonibus in ſiniſtrum, quanta in eos confluxit a dextro. Proinde collectus in illis ſpiſſescit et ſtagnat, obſtruit eosdem, obruit cor, imo ipſum hepar, viſcus ſane invalidum.

1.) In hoc paragrapho (§. 63.) ſuppono ex diſſertatione ſolertiſſimi Hambergeri de reſpirationis mechanismo atque uſu genuino primarium reſpirationis uſum conſiſtere in refrigeratione ſive condenſatione ſanguinis et, quae hanc

 ſe-

ſequitur, libera circulatione, fugata per pulmones parte caloris in aerem inſpiratum. Rationum autem, quibus clariſſimus auctor nititur, ſumma haec eſt: quod dexter cordis ventriculus ſit capacior ſiniſtro, quod ſyſtole utriusque ſit ſynchronos quod arteria pulmonalis ſit capacior vena ejusdem cognomenti ſecus ac in reliquo corpore, quodve aer, (quo et ſanguis calidior et calor ſpecifice levior) in pulmones irruens pertingat ſubtiliſſima quaeque vaſa ſanguifera, veſiculari pulmonum ſubſtantiae intexta, ex quibus auferat particulas calidas a ſanguine tranſeuntes, qui eatenus condenſatus refluat ex pulmonibus in ſiniſtrum ventriculum, tantus quidem pondere, quantus in dextro erat, ſed ſpatio per condenſationem diminutus. (§. 35. no. 3. §. 42.) Quae latius auctor demonſtravit in laudata diſſertatione, ubi et receptis de uſu reſpirationis opinionibus et dubiis obviam ivit.

§. 64.

Morboſis illis cauſis remotioribus, quas hactenus enumeravi, (§. 54. 55.

59.

59. - - 63.) non opus eſt ſubnectere alias ex una quaque ſpecie cibi pendentes, item eas, quae omnibus mortalibus aliquando eveniunt ex ſomno, vigiliis, animi pathematibus atque aliis talibus. Quippe quae ſi notabiliter nocuerint nautis ruſſicis, magis per enumeratas, quam per ſe id efficiunt. Imo nec illae, ſeorſim quaeque agens, tantam afferunt noxam, quantam invicem junctae ac ſibi mutuo auxiliantes, ſubverſis interea ſecretionibus et excretionibus. Has autem ſubverti liquet ex fluidorum lentore et ſolidorum atonia, paulatim natis (per citata); ut praeteream euntem plus minus peſſum chylificationem et ſanguificationem cibi tenacis et craſſi (per citata); quorum illa prima haec ſecunda, utraque vero gravis et conſtans ſecretionum remora eſt. Id quod per vim oppoſitorum patet ex conditionibus citatis, ſi conferantur cum illis, quas ſupra commemoravi. (§. 35. 37. 45.) Igitur conſequens eſt, ut retineantur in corporibus illis particulae per ſecretiones et excretiones foras mandandae ſive re-

crementitiae. Tales vero generatim cenſentur, quae nec partibus corporis nutriendis nec ſanitati conſervandae aptae ſunt; proinde ut noxiae ex corpore eliminandae: ſpeciatim autem obſervantur ſeroſae, terreae, ſulphureae, bilioſae, ſalinae ſalſae, alcalicae, et quae ſe produnt, peſſum eunte ſanitate, acidae. Atque hae ſunt praecipuus cacochymiae fons in comparatione aliarum, quales ſunt nativae ſimilium particularum ſanguinis abundantia aut defectus, item qualitates cibi et potus eminentes, quibus addi poſſunt qualitates aeris, utpote quae ita quandoque potentes ſunt, ut epidemias pariant.

§. 65.

Quando quidem diſpoſitio denotat ſtatum quendam corporum, accommodatum ſuſcipiendis facile morbis, ſi quae illorum cauſae intercedant, atque omnes obſtructionum cauſae ſuboriuntur in corporibus nautarum ruſticorum, (§. 54. 55. 58. -- 64.) nullum eſt dubium quin illos

illos preſſo pede ſequantur obſtructiones, primum quidem abſtruſae ac vix notas ſui prodentes, dum ſcilicet conſiſtunt in ſubtilioribus capillaribus, majuſcula componentibus, deinde vero paulatim gliſcentes, quoad in affectum quendam ſenſibilem degenerent. Qui niſi curatus vel ſaltem cohibitus fuerit, quo minus tractu temporis invaleſcat, (modo ſemper id effici poteſt) ſecum ducere ſolet alios pro natura ſua et peculiari corporum partiumque ſolidarum, in quibus radicantur, conſtitutione. Qui et primum nutriunt et alios gignunt novos, atque ita porro iidem affectus multiplicantur per nexum partium (§. 85. no. 5. 6.) fiuntque effectus ſimul et cauſae, donec ſubruta penitus oeconomia vitali, ſuccedat ipſi mors. Qua propter multa obſervantur in morbis chronicis et cadaveribus, quae ſequuntur partim primos affectus, partim vitam lente emorientem.

Caput V.

Compendiaria morborum et obſervationum ratio.

§. 66.

Primum viſcerum notabiliter obſtrui videtur hepar prae euntibus primis obſtructionibus, (§ 65.) quae multis in locis ſimul exoriuntur per univerſales obſtructionum cauſas (§. 54. 55. 59.-64. 52. no.-1.) id autem colligo ex induratione illius, (quae ſummus eſt obſtructionis gradus) in ſingulis cadaveribus obſervata, cum caetera in quibusdam meliuscule ſe habuerint. (§. 17.) Enim vero hepar eſſe viſcus maximum minimeque validum propter tenerrimam, qua conſtat, ſubſtantiam, arteriis plurimum deſtitutam in comparatione venarum, quibus abundat, notum ſcilicet eſt. Quin etiam conſtat ramos venae portae hepar ingreſſae, praeſtare vicem arteriarum, pulſatione carentem, id eſt, ſanguinem vehere ſecernendum, ſola pres-

preſſione a ſubſequente promotum (§. 35. no. 6.) per cava ſenſim coanguſtata ſimiliter arterioſis, ſecus ac eſt venarum conditio; atque adeo defectu pulſationis comitantis tardius moveri in extremis eorum anguſtiſſimis, (§. 45.) quam alibi; hinc remittente celeritate ſpiſſeſcere, (§. 35. no. 2.) tanto quidem magis quanto plus lymphae (quae conſtat gelatinoſa parte ſanguinis copioſo ſero diluta §. 35. no. 1. 12. 13.) ab eo ſecernitur in abdominis viſceribus. Quod ſi his addatur iners ſanguinis ſpiſſitudo, tam nativa ex victu (§. 51. 35. no. 14.) quem adventitia ex aere et erratis (§. 54. 55. 59. 65.), ac motus utcunque remiſſus per univerſum corpus, ob debilem ſolidorum oſcillationem, (§. 64.) et primas obſtructiones, quae paſſim tranſitum ejus remorantur; (§. 65. 35. no. 6. §. 52. no. 2.) nec non prona ejus in ſpiſſitudinem diſpoſitio, (§. 35. no. 2.) facile ſane perſpicitur, primum hoc viſcus obſtrui notabiliter. In primis, ſi una attendatur in mediatam ſanguinis ſpiſſitudinem ex frigido potu, (§. 61. no. 1.)

item in exuberantem mucum ventriculi et inteſtinorum, generatum partim ex aere et erratis, (§. 54. 55. 59. - - 63.) partim ex chylificatione peſſum eunte, (§. 64.) qui adhaerendo oſculo ductus cholidochi communis remoratur tranſitum bilis, per eum que ſecretionem illius, et per hanc ſanguinis in hepate motum. (§. 35. no. 5. 6.)

§. 67.

Quum in hepate mentionem feci ſanguinis ſpiſſeſcentis ac ipſum obſtruentis, (§. 66.) mucoſam una lympham et ſerum tenax complexus ſum, quibus ille, ceu aquoſior ac plus minus mucoſus, (§. 54. 55. 59. - - 64.) abundat. Enim vero muco et lymphae una aſt materia communis, gelatinoſa victus portio, quae male ſubacta ſeu tenax et iners manens, implicitis ac ſuffocatis particulis ſalino ſulphureis, quae inſunt illi, (§. 51.) mucus dicitur. Exemplo ſit mucus narium et faucium, qui eſt lympha aquoſa et fluida ſui parte (§. 66.) privata. Serum

rum quidem, per ſe fluidum, ſpiſſeſcit et fit cacochymum ex lympha mucoſa et ſalibus ſibi admixtis. (§. 35. no. 1. §. 64.) unde certum eſt in ſingulis viſceribus una cum minutis vaſculis ſanguineis obſtrui multa principia lymphaticorum et quaevis alia minuta, majusculis ſanguineis perviis. Neque enim aliter fieri poſſet, ut viſcera per totam ſui ſubſtantiam indurarentur, ſuperſtite diu vita; ſi quidem induratio in ſolis vaſculis ſanguineis conſiſteret. Quippe hoc modo praecluderetur penitus via ſanguini per illa tranſituro, ex quo continenter ſequerentur mortifera mala. Exemplo ſit hepar induratum, in quo ſi omnes rami venae portae obſtruerentur, neque vita diu perſiſtere poſſet, neque ſecretio bilis qualiscunque continuaret. Quod ſi quaedam ramulorum venae cavae et portae extra hepar anaſtomoſes generatim ſupponantur ex generali anatomicorum obſervatione de mutua vaſorum homogeneorum inoſculatione, neque illae ſuffecerint tantae ſanguinis moli transmittendae, quanta ex viſceribus infimi ventris per hepar tranſit,

ſit, et bilis plane interciperetur. Spectant huc glandulae poſt indurationem inflammatae, quae tum rubent, cum alias vel palleant vel albicent; quia infarctae ex lympha coagulata, cui debetur albicans calor, ut ruber ſanguini noviſſime ſtagnanti; qui procul dubio movebatur ante hac per vaſcula ſanguinea, in quibus ſubſtitit.

§. 68.

Obſtructum hepar continuo rigeſcit ab humoribus ſubſiſtentibus et vaſa, in quibus haerent, diſtendentibus, (§. 52. no. 2.) unde obtuſus dolor (§. 35. no. 11.) in regione illius profunde cubans. Quin iidem ab aliis pone ſe ſubſiſtentibus ac jugiter ſe prementibus ex mediata ſequentium preſſione (§. 35. no. 6.) paulatim impacti vaſculoſae haepatis ſubſtantiae augent manifeſte molem illius ac ſimul indurant, fluidiori ſua parte refluente per lymphatica nondum obſtructa. (§. 67.) Hinc diminuitur comparate capacitas abdominis, impeditur deſcenſus

ſus diaphragmatis, diminuta ex eo capacitate thoracis; premuntur viſcera abdominis inque pluribus locis quieta ſe ſe tangunt. Porro dum haec fiunt impeditur ordinarius ſanguinis fluxus in pancreate et liene; imo in toto meſenterio ac omnibus partibus, quibus vena portae inſeritur. Hinc etiam illae obſtruuntur tanto quidem citius fortiusque, quanto plures adhuc aliae obſtructionum cauſae praeſto ſunt. (§. 65.)

§. 69.

Secundum ab hepate aut forte ſimul cum hepate obſtrui videtur pancreas, (§. 65.) quod aeque ac illud in ſingulis prope cadaveribus induratum vidi. (§. 17.) Atque id provenit partim ex ſucco pancreatico nimis tenaci in tenera pancreatis ſubſtantia glanduloſa lenteſcente, partim ex praevia vel comitante ſanguinis in hepate remora, (§. 68.) partim ex muco plus minus claudente oſtium ductus pancreatici (§. 66.). Hujusmodi vero tenacitatem ſucci pancreatici colligo ex inſigni ac

ve-

veluti calloſa pancreatis duritie, qualem nullo in viſcere indurato vidi, quam interdum in glandulis minoribus, quarum induratio ex lympha coagulata dependet. Uti ſupra dixi (§. 67.). Accedit huc albicans pancreatis indurati color, qui, putreſcente illo, hinc inde variatur tenui rubedine. Propterea nullo in cadavere obſervavi ſuppuratione (quae ex ſanguine potisſimum oritur) affectum, cum in multis fuerit putrefactum ad modum omenti (§. 17.). Quae putrefactio procul dubio naſcitur ab acrimonia humoris ſenſim explicata ac, ingruente morte, exaſperata per calorem ſanguinis hinc inde in vaſculis ſanguineis inflammati, ſicuti omento in aſciticis evenit a ſero, circa vitae finem ſuccenſo et acerrimo facto; ex quo aliquoties exorta eſt in manibus meis, palpando viſcera humectatis, pruriginoſa rubedo, miliaribus puſtulis interſtincta. Putredinoſam hanc et mortiferam inflammationem ſatis arguit calor in omnibus moribundis auctus, ſitis, ſiccitas linguae et faucium atque id genus alia. Quare ſimili quoque inflammatione

ne omentum computreſcere in corporibus non aſciticis exiſtimo, conſumpta ſcilicet in antecesſum tenuiori ejus parte. Cui favet analogia petita ex corporibus defunctis ſeu aſcite ſeu febri ardente, in quibus omentum corruptius eſt, quam in aliis.

§. 70.

Tertio in veteranis obturatur lien, quarto glandulae meſenterii (§. 65. 17.); ſecus ac in novitiis, in quibus glandulae iſtae vel ſimul cum hepate et pancreate (§. 66. 69.) vel ante illa obſtruuntur. Quippe quas in omnibus novitiis, quocunque morbo defunctis, induratas vidi. Cui accedit etiam illud, quod nempe omnes illorum undecunque aegri, niſi effloreſcente ſcabie vel purpura revaluerint, paulatim contabeſcant queruli de obtuſo et profundo abdominis dolore, praeſente ut plurimum diarrhoea (§. 9.). Qui complexus ſymptomatum atrophiae quaedam ſpecies eſt, provenitque ex obſtructione glandularum meſenterii et vaſorum lacte-

orum

orum, quam pariunt effluvia aeris mixta in ventriculo cum illis humiditatis domuncularum, in quibus habitant, ciboque fermentata ac praevalentia (§. 54. 62.). Unde generatur chylus mucoſus putredine quadam infectus atque cacochymus (§. 62. 64.), ex quo ſimilis ſcaturit ſanguis; (§. 35. no. 14.) quia ſimul cum chylo et bilis et ſuccus pancreaticus et omnis primarum viarum lympha lenteſcit, infecta particulis dictis (§. 64). Hinc ex chylo ita depravato labes commemorata; ex cacochymo ſanguinis et lymphae temperamento (§. 35. no. 14.) purpura et ſcabies, (§. 9.) utraque ſcorbutica ac ſaepe ſecum invicem alternantes, imo quandoque ſociatae in unis corporibus. Quod in cauſa eſt, qua propter morbos novitiorum proſapiem ſcorbuti appellaverim. (§. 9.)

1.) Tertia tabis ſpecies, neſcio quo fato, praetermiſſa eſt in primo paragrapho. Quae propterea hic collocatur, quo minus diviſio tabis in primo paragrapho data manca appareat. Illa vero

ro maraſmo ſimillima eſt, etſi novitios, qui juvenes ſunt, ut plurimum infeſtat. Nam calor vix naturalem ſuperat, niſi quandoque ſub extremis; mucus et ſcreatus paucus, nec adeo crasſus et flavus, lingua pauxillum ſicca. Cutis tenera et flaccida, niſi fuerit ſcabie aut purpura interſtincta, ut interdum evenit. Sudores colliquativi modici. Alvus communiter ſolito laxior cum obtuſis abdominis gravaminibus. Poſtremo aegri ex hac tabe paulatim languentes et tabeſcentes placide moriuntur.

§. 71.

At posſet aliquis accuſare aquam in purpura et ſcabie novitiorum, (§. 70) inductus ex eo, quod iſtius modi morbi aliis etiam in locis accidant novitiis ex aqua illorum, ſibi inſueta, et quod purpura vel ſcabies hic loci frequens ſit advenis cujuscunque aetatis et conditionis; quae vero nec alios incolas immunes ſinunt. Interim ſi quid tribuit aqua generationi illarum, ut quidem veriſimile vide-

detur, id ſane non pugnat, ſed concordat cum allegatis cauſis, (§. 70.) ac totum debetur potius qualitatibus aquae pluvialis atque nivalis, per loca uda et palludoſa depluentis, item marinae huc uſque ventis appulſae, quam ordinariis fluviatilis, quae per ſe dulcis, ventriculo grata et levis eſt, atque etiam urinam commode movens, quae ſunt notae ſalubritatis.

§. 72.

Porro non abſonum videretur, ſi quis exiſtimaret glandulas meſenterii etiam in veteranis obſtrui vel ſimul cum hepate et pancreate vel ante illa, quemadmodum hoc fit in novitiis, (§. 70.) ita ut ultimo afficiatur lien, quod hic, ſecus ac priora, neque fluidum quoddam amandet in inteſtina, neque ex illis recipiat per ductum quendam peculiarem, et nervis comparate abundet, ex quibus ſanguis per illum fluens copioſos hauriat ſpiritus, fiatque fluidior, recuperato quodammodo ſero cum lympha ſecreto (§. 66.) per copioſa lymphatica. Verum

ex-

experientia id reprobat, quando ſaepius vidi lienem in veteranis male affectum et induratum, quam glandulas. Quarum obſtructio in novitiis oritur ex mucoſo chyli temperamento, effluviis aeris atque domeſticae humiditatis fermentato, (§. 70.) non ex erratis quibusdam; quibus alii paulatim aſſueſcunt, alii abhorrent ab illis per omne vitae tempus. Igitur per quam veriſimile eſt effluvia illa, ceu aſſueta veteranis, plus minus ſubigi, (§. 36. no. 1.) quoad paulatim collecta ac praevalentia effectus ſibi ſolitos edant, obſecundante ipſis aliunde ſanguinis et humorum ſtatu (§. 59. 61.).

§. 73.

Succeſſionem illam obſtructionum (§. 66. 69. 70. 71. 72.) accommodavi experientiae per ductum rationis, quamvis ſciam illam quandoque variare per varios caſus, quibus corpora humana obnoxia ſunt. Qua de cauſa nec de ſucceſſione affectuum pectoris (§. 13. -16.) ſeorſim quidquam dicam, quatenus, per

ſe abſtruſi et intricati, varie ex variis caſibus variantur, ut dictum eſt. Si quid tamen generatim dicendum eſt, pulmones inter cetera thoracis viſcera primitus videntur affici vel per illa abdominis vel una cum illis, (§. 66. 69. 70. 71. 72. 65.) quod et per ſe teneri, et acceſſui aeris patentes, ex quo multas concipere poſſunt noxas. (§. 54. 62. 63.)

§. 74.

Incraſſatio ventriculi, inteſtinorum, meſenterii aliarumque partium (§. 17.) provenit ex materia ſeroſo lymphatica, fibras earum et interſtia fibrarum infarciente; atque adeo ſpecies quaedam eſt obſtructionis (§. 52. no. 2.). Exemplo ſint inteſtina aſciticorum, quae mirum in modum craſſeſcunt, ex aliqua certe materia ſeroſo lymphatica, paulatim ſubſtantiae illorum inſinuata, quod per analogiam applico ad reliquas partes incraſſatas, praeeuntibus cauſis et rationibus ſparſim commemoratis (§. 54. 59.-- 70.). Propterea partes illae non poſſunt

ſimul

ſimul non rigeſcere, obſecundante lento illorum motu. Nam rigiditas, hoc ſenſu accepta, eſt ſtatus ſolidi mollis et flexibilis ortus extenſione vel contractione, ſalva continuitate illius. Hinc ea in inteſtinis intenditur per coarctationem illorum, praeviam vel pediſſequam ſiderationis ſcorbuticae (§. 17.); Quae differt ab ordinaria vel inteſtinorum vel aliarum partium. Hanc enim ſequitur obſcura partium rubedo cadaveroſa cum mollitie, abolita prope ſtructura; illam vero contra intenſa nigredo, conſtrictio et rigiditas inteſtinorum, ſalva ſemper ſtructura, etſi alioqui depravata. (§. 17.). Qualis ſtatus cum in corporibus ſcorbuticis potiſſimum exiſtat, (§. 31. et no. 1. §. 32. et no. 1.) merito ſcorbuticus a me appellatus. Eum autem eſſe lentum et diuturnum, perquam veriſimile videtur ex crebra alvi ſegnitie quandoque degenerante in pertinaciſſimam aſtrictionem, quae incraſſationis et conſtrictionis inteſtinorum comites ſunt, ut liquet ex obſervationibus ſupra allatis (§. 31. 32. 4.). Praecipuam vero illius cau-

 ſam

ſam agnoſco bilem tenacem, particulis ſalinis ponticis ac putribus variis fermentatam, qualem ſtatuo convenienter doctrinae generali (§. 55. no. 1. -- 4. §. 54. 62.), partim ex tenacitate et nigredine illius, conſtanter in cadaveribus obſervatis (§. 17.), partim ex lurido corporum dum vivunt, habitu, ſaepe deſinente in ſpiſſum icterum nigrum; partim ex ordine tunicarum affectarum (§. 17.).

§. 75.

Concretio partium quarumcunque (§. 12. no. 1. -- 2.) prava quaedam eſt nutritio, provenitque a ſero tenaci, quo ſingularum ſuperficies naturaliter humeſcit, praebente occaſionem quieta partium multis in locis preſſione ex mole quarundam aucta per obſtructionem (§. 68.). Quippe quod jugiter partibus illis intercedens concretionem parit, perinde ac ſi nutriret. Idque efficit mucoſa, quam continet lympha (§. 67.), quae aptiſſima ſcilicet eſt concretionibus

bus producendis (§. 35. no. 12. 13.). Accedit huc, quod quaelibet illarum pinguedinem quandam poſſidet, quae luxurioſe creſcens concretiones vel juvat vel procreat. (§. 12. no. 1. 2. §. 26. no. 1. 2. §. 32. et no. 1. §. 26. no. 1. 2.) Concretionem quidem pulmonum cum pleura et partibus vicinis (§. 12. no. 1.) poſſunt quoque ſecundare qualiscunque illarum plenitudo ex muco vel ſanguine et dolor laterum, ex quibus abbreviata reſpiratione pulmones quieti quaſi attingunt pleuram et alias partes vicinas, ac per ſerum, undecunque tranſudans, coalescunt, quemadmodum pericardium concreſcit cum corde, intercedente humore proprio; quem oportet eſſe tenacem ac plurimum deficere, conſidente interea pericardio, alioqui non coaleſcerent. Quod ſi poſtea cauſae illae paulatim ſolvantur, concretio, ſi nec dum confirmata, hinc inde tantum cedit, membrana, quae communiter illis internaſcitur, (§. 12. no. 1.) in ligamenta coacta per increſcentem pulmonum a pleura remotionem, quae tractu temporis nu-

 tri-

trita ac varie tenſa craſſeſcunt ſimul et rigeſcunt. Unde nam vero membrana illa ſuccreſcat, decernere abſolute non auſim. Veriſimillimum quidem apparet eam ſuccreſcere vel ex pleura, vel ex tunica pulmonum, vel ſimul ex utraque, porrectis per affrictum et concretionem quibusdam fibrillis ac pedetentim nutritis.

§. 76.

Simili quoque modo germinare videntur ex ſubſtantia cordis carunculae illae carneo fungoſae, (§. 22. et no. 1.) carpta hinc inde membrana illius per acrimoniam humorum, (§. 64.) aut per copiam ſtagnantium (§. 65.) rupta, indeque porrectis fibrillis, (§. 75) ac per ſanguinem mucoſum nutritis (§. 67. 75.). Pinguedo pericardio accreſcens (§. 22. no. 1.) propagatur ex pinguedine luxuriante quae baſim cordis et truncos vaſorum ambit. Cruſta calculoſa pericardio accrevit (§. 25.) ex materea terreo mucoſa, advecta eo cum humore pericardii

dii, qualis in pulmonibus tophorum nomine colligitur (§. 26.). Quodſi hujusmodi materia fuerit paulo tenuior et copioſiori cum muco mixta, oſſificat partem mollem, cui adhaeret, (§. 30.) fluidiori ejus parte aliorſum avecta.

§. 77.

Sed cur luxurians illa pinguedo (§. 75.) ſit rigida inſtar ſteatomatis cujusdam, (§. 17. 23. 26. et no. 1. 2.) id pendet ex oleoſa ſanguinis parte, nec ſatis attenuata, nec a mucoſa lympha (§. 67.) ſecreta. Ex qua quippe non tantum pinguedo, in cellulis adipoſis collecta, exiſtit craſſior, ſed etiam cellulae et aliae membranae, illi annexae, craſſeſcunt ſimul et rigeſcunt (§. 74.). Partem quidem oleoſam ſive ſulphuream, non ſatis attenuatam, eſſe mixtam copioſa cum lympha mucoſa conjicio ex gelatinoſis cordis polypis, qui ſunt maſſa quaedam ex mucoſa et pingui conflata, teſte gravi et foedito illorum fumo (§. 16.). Qui propterea egregie illuſtrant cum ſta-

 tum

tum totius maſſae ſanguineae (§. 52. 64.), tum diſpoſitionem ad procreandas concretiones et augendam pinguedinem (§. 75). Quod ſcilicet nec pinguedo formalis in ſanguine praeſto ſit, nec adipoſae membranae in ventriculis et auriculis cordis exiſtant, et nihilominus iſtius modi maſſa luxurioſe ex illo in his accumulatur, quae ſane uberem quendam ſui in ſanguine proventum indicat.

§. 78.

Quod ſi quis dubitet de exiſtentia polyporum in corporibus vivis, ſeductus opinione quorundam, qui putent polypos poſt mortem demum generari ex ſanguine, concreto in filamenta fibroſa, meminerit is opinionem iſtam neutiquam convellere conſequentias ex praeſentia et conſtitutione illorum deductas, ſive illi fuerint poſt mortem, ſive longe arte mortem generati, quamvis poſterius longe veriſſimum ſit. Enim vero polypi, de quibus diſſero, gelatinoſi pingues ſunt, fibroſis pedunculis inſtru-

ſtructi (§. 77. 16.) quae maſſa paulatim, hoc eſt, tractu temporis accreſcit ventriculis, particulatim ſecedens ex ſanguine tranſeunte; quoniam nusquam talis videtur ſanguis, ut aliquis aſſeverare poſſit polypos concreſcere ex ſanguine in partibus illis per mortem ſubſiſtente. His addo polypum illum in obſervatione (§. 19. no. 1.) commemoratum, qui ventriculum et auriculam dextram tantum non plene infarciebat, ſiniſtro cruore duntaxat ſemipleno (obſervat. citata), quae maſſae, ceu diverſiſſimae, plane refellunt opinionem illam.

§. 79.

Quin etiam ſymptomata polyporum in vivis obvia, praeſentiam eorum abunde probant. Eorum autem unum eſt pulſus arteriarum impenſe plenus ac durus cum longe fortiſſimo cordis, alterum craſſa et glutinoſa ſanguinis é vena miſſi, cruſta gelatinoſa, abſente febri, quae alias inflammatoria cognominatur; tertium et quartum dolor, plus minus

 gra-

gravis et anguſtia pectoris citatiori corporis motu ſuffocationem minitans. Caetera, quae ab authoribus recenſentur, quaeque ex dictis mutuantur dignitatem pathognominici ſigni, omitto, ac loco illorum unum atque alterum exemplum referam, cum exiſtentiae polyporum in vivis, tum pleuritidi deinceps illuſtrandae congruens: exacto prope vere hujus anni adducebatur in noſocomium nauta quidam, annos circiter 35 natus, aeger ex modica febri catarrhali cum notabili tuſſi, dolore pectoris et pulſu mediocriter pleno ac duro, quae intra octo dies evanuit, manente dolore pectoris, et pulſu ferme in ordinarium reſidente. Qui mane quodam viſus eſt mihi longe plenus ac durus, magna cum anguſtia pectoris. Ex quibus ſuſpicatus merito praeſentiam polypi, continuo jubebam aegrum, jam ex febri liberum, ſe ſe denudare, in quo nudo cernebam in collo, item ſiniſtra parte pectoris et flexuris brachiorum validiſſimum pulſum; ideoque confirmata conjectura illico curavi ſanguinem e bra-

chio

chio mitti ad lb. iſs. qui brevi coagulabatur, nullo ſecedente ſero, bene vero craſſiſſima et glutinoſiſſima cruſta in ſuperficie illius compacta, quae ſupra dimidium pene digitum transverſum craſſa, non prius ceſſit ſpathulae deſuper prementi, quam fundum vaſis attigerit, cedente per preſſionem cruore. Phlebotomiae ſubjunxi Spir. Theriacal. camph. eſſent. Enul. aa Drachm. Sal. vol. oleos. Scrup. pro duabus doſibus, item linctum ex ſyrupi Pectoral. drachm. ij. ſucc. liquirit. Sperm. Ceti aa drachm. ſangu. Hirc. Scrupl. pro lubitu ſumendum. Poſt aliquot dies iteravi phlebotomiam, ac rurſus totidem adhuc diebus interjectis repetii, remittente poſt unamquamque pulſu et cruſta decreſcente, quoad dimidiato menſe pulſus in ordinarium ferme reſedit et dolor pectoris maximam partem evanuit, obliterata notabiliter ſuffocatione, quam aeger citatiore gradu ſibi impendere agebat. Cui poſtea efflagitanti dimiſſionem ex noſocomio conceſſi, quod et ſatis eſſet levatus, incipiente jam aeſtate,

te, quo tempore ſanguis fluidior eſſe ſolet, et conſtitutio corporis ſana vegetaque omni ex parte appareret. Alium paulo poſt tractavi aegrum, aliquoties ante hac levatum ex tumore abdominis et incipiente cachexia, quibus etiam tum laborabat. In hoc pulſus arteriarum erat remiſſior et celerior, cordis validior, dolor pectoris auctior, quam in praecedente, anguſtia pectoris aequalis. Sanguis ter é vena miſſus eſt decurſu viginti dierum, qui nec ſerum dimiſit, nec gelatinoſam prae ſe tulit cruſtam. Una quaque tamen vice pulſus remittebat, ceteris perſiſtentibus. Quibus ac ſimul polypo inde a principio hanc appoſui mixturam: R. Elix. Propriet. Spirit. Theriacal. Camph. aa. drachm. Spirit. Sal. amm. gtt. x. pro duabus doſibus; item lictum ſimilem ſuperioris, interpoſito ipſis per ſingulos octo dies purgante iſto: R. Extr. Catholic. Scrupl. Mercur. dulc. ſcrup. ſs. reſin. Jalapp. gr. v. Troch. Alhand. gr. iij. Thereb. venet. gtt. v. ex his remediis ſesqui alterum menſem uſurpatis, pulſus, dolor et angu-

guſtia pectoris remittebat, detumeſcente una ventre. Tum repente exortus eſt in dorſo acerrimus cum febricula quadam herpes papulis majusculis flaveſcentibus, ex quibus poſtera die ruptis, effluxit ſerum acre flaveſcens, exulcerata cuti ad modum ulcerum herpeticorum; quae itidem per quindecim dies manavit pure aquoſo, flaveſcente, acri, ac denique exaruit, ſuccreſcente cuticula. Quo circa dimiſi aegrum jam ſatis ſanum et vegetum, manentibus adhuc obſcuris polypi veſtigiis, quem hoc autumno vidi orthoſtadium quidem, ſed polypoſum. Papulis herpeticis et ulceratae cuti, quoad pure foedabatur, applicui emplaſtrum citrinum, adhibita ſubinde lotione ex decocto Herb. Abſinth. Abrotan. Fl. Hyperic. tanacet. chamomill. cum tantillo Mellis Roſat. et Tinct. Aloes et Myrrh. Porro interne praeſcripſi hanc mixturam: R. Spirit. Theriacal. Eſſ. Enul. aa. drachm. Mixt. ſimplic. Scrupl. Laud. liquid. gtt. iij. pro duabus doſibus. Praeterea Rec. Antimonii diaphor. Nitr. depurat. aa Scrupl. Extr. Theriacal. drachm.

pro

pro doſi veſpertina, omiſſo plane purgante.

§. 80.

Ex gemino iſto ſpecimine practico (§. 79.) et alio ſupra allato (§. 19.) quisque conjicere poterit praeſentiam polyporum, niſi forte ſcrupulus ſuboriatur ex debili pulſu polypoſi ſecundi (§. 19. no. 1.). Ejus autem ratio petenda eſt ex obſtructione primo venae, ſecundo arteriarum coronariarum. Nimirum vena coronaria majore trunci ſui orificio hiat in truncum venae cavae e regione auriculae dextrae, et pluribus minoribus in cavitatem tam auriculae dictae quam ventriculi dextri; quae orificia minora compendiaria revehunt ſanguinem in easdem cavitates, intruſum ſub diaſtole cordis ex auricula dextra in orificium venae corronariae majus. Quod eum fit in finem, ut et ſanguis ex arteriis coronariis veniens ſub ſyſtole cordis libere meare poſſit in venam coronariam, et ipſa vena una cum arteriis illis repleatur ſan-

ſanguine. Ubi ex plenitudine ventriculorum oritur remotio parietum a ſepto transverſo; ex plenitudine venae et arriarum coronariarum diſtenſio et elongatio fibrarum cordis, correcta plurimum directione illarum ſpirali; quia uti vaſculoſae continuo replentur ſanguine. Ex quibus porro ſequitur elongatio et tenſio tendinum valvularum tricuſpidalium et mitralium; atque ex omnibus, quae uno fiunt tempore, diaſtole cordis. Cum autem conditiones iſtae in polypoſo illo eſſent ſublatae ex unico polypo, qui plene infarciebat auriculam et ventriculum dextrum (§. et no. citat.), non mirum eſt pulſum arteriarum in carpo fuiſſe exilem. Hinc etiam tam vaſa coronaria quam reliqua in abdomine ſanguinea turgebant ſanguine (§. et no. cit.), quia impedita ejus in corde circulatio. Caeterum liquet enormem illam pulſus in polypoſis magnitudinem (§.78.) provenire ex impetuoſa nimis plenitudine vaſorum coronariorum et, quae hanc e veſtigio ſequitur, plena fibrarum cordis elongatione, item tendinum val

vu-

vularum tricuſpidalium et mitralium tenſione per validam, (quae illis ſynchronos eſt) cum auricularum tum arteriae magnae contractionem; quoniam plenitudo ventriculorum ex ſanguine, minus ſane quam dimidiata (§. 19. et no. 1.), per quam tenuem fert opem diſtenſioni illorum. Interim praeſentes in illis polypi, vicem ſanguinis impetu carentem explendo, ſimul et ſanguini ex auriculis ruenti fortiter reſiſtunt, (unde valida illarum contractio), et parietes ventriculorum in actu contractionis remorantur, ac utrinque irritant cor ad validam contractionem (§. 35. no. 10. 8.). Quod ſi his per hypotheſim addatur juſtus utcunque fibrarum elater et habitudo (§. 35. no. 10. 8.) in toto corpore, ſanguinis copia, vel paulo major, vel congruens ſolidis, et qualitas rarefactioni apta, item reſiſtentia, (quae plurimum confert impetuoſae arteriarum coronariarum plenitudini per fortem ſanguinis in cor renixum ex contractione arteriae magnae) aucta in extremis arteriarum et principiis lymphaticorum per majorem

rem ſanguinis et lymphae ſpiſſitudinem (§. 79. 19. 45.) omnia planiora et evidentiora evadunt.

Caput VI.

Compendiaria conſtitutionum hiſtoria, quae ab anno 1730. usque ad finem anni 1733 hic exſtiterunt.

§. 81.

Conſtitutio juxta medicos denotat morbos quosdam notabiles, multos hominum, ſibi vicinorum, uno tempore invadentes ſeu pari ſeu diſpari ſymptomatum moleſtia; quorum illi epidemici, hi ſporadici appellantur; quamvis aliquando etiam illi morbi dicantur ſporadici, qui unum atque alterum ex multis laceſſunt. Tales autem eſſe ſolent morbi verni; utpote qui, generatim ſpectati,

 prae

prae reliquis totius anni ſrequentes et vehementes exiſtunt. Igitur ex febribus vernis, anno 1730. inter nautas grasſatis, exordiar, quas ego vidi declinante vere, tunc primum ingresſus noſocomium. Erant autem frequentes et vehementes pleuritides verae, peripneumoniae, febres ardentes, quandoque inflammatione faucium, vel meningum comitante, et dyſenteriae ut plurimum cruentae. Quaelibet autem illarum ab aliis dignoſcebatur propriis duntaxat ſignis pathognomicis, caetera communia prope omnibus. Nam aeſtus in ſingulis praevalebat, pulſus magnus durus et celer. Dolor capitis vehemens, oculis rubentibus ac leviter caligantibus prae muco, qui in canthis et ciliis notabilis erat. Ad haec immodica ſitis, lingua et fauces exarefactae. Tuſſis magna, et crebra, ſpumoſo albicante ſputo comite. Somnus paucus, inquietus ac ut plurimum delirus. Imo nonnullis vera deliria. Ipſa febris pomeridie exacerbabatur ſupra mediam noctem, circa diluculum aliquantum remittebat, ſuccedente notabili

bili ſudore. Quo et ſimul ſputo paulatim terminabatur, remiſſior intra nonum circiter et duodecimum diem, acutior intra duodecimum ſextum vel ſeptimum, numero dierum impari parique promiſcuis.

1.) Sanguis é vena mature miſſus craſſam et glutinoſam exhibebat cruſtam inflammatoriam pro magnitudine pulſus et aeſtus, quae poſt aliquot dies teneraſcebat et conſiſtente febri evaneſcebat reſidente interea pulſu. Qui in plerisque dyſentericorum non minus magnus, durus et celer erat, quam in aliis febrientibus (§. 81.), praeterquam quod brevi remittebat et molleſcebat, manente celeritate, ac ſimul aegrorum vires proſternebantur. Quod nemini mirum videbitur, qui conſideret crebram alvum, ſeu cruentam, ſeu incruentam. Interim etſi pulſus et vires cito frangebantur, tamen venam in principio ſecui, atque interdum, urgente aeſtu et fluxu, mature iteravi, pulſu tantillum adhuc vigente. Qui ſanguis aeque craſſam et glutinoſam prae ſe ferebat cruſtam inflammatoriam,

ac ſimiliter in progreſſu morbi mutabatur, atque is reliquorum aegrorum.

2.) Phlebotomiam inſtitui ab VIII. Untz. usque ad X. aut amplius, quam in quibusdam, qui levius febriebant, omiſi, in aliis mature iteravi ob vehementiam aeſtus et pulſus. Medicamenta praeſcripſi uſitata mihi adverſus iſtius modi febres, qualia ſunt C. Cerv. philoſoph. et toſt. Conch. Lap. 69. praep. Antim. diaphor. Nitr. Crem. tartari, Tartár. vitriol. Sal prunell. Pulvis Rhabarb. ſimpl. et toſt., rad. Ipecacuan. Sal. vol. C. C. ſicci, Pulv. temper. Pulv. pectoral. contra Caſum, dyſentericus, rad. torment. cort. Winteran. ſanguis hirc. Spirit. Sal ammon. anis. liquor C. Cerv. ſucc. Elix. Pectoral. Wedel. Tinct. Pect. R. D. Mixt. ſimplex, Tinctur. Bezoard. Eſſ. Croc. Enul. Pimp. Scord. Succ. Spiritus Theriacal. Nitr. dulc. Tart. Laud. liquid. S. Eſſ. anod. Aquae deſtillatae, ut aq. fl. ſambuc. nymph. aquileg. lilior. convall. roſar. rubr. til. meliſſ. Card. bened. hed. terreſtr. Veron. Hyſſop. Chaerefol. Foenic.

ace-

Acetoſ. Menth. Cinnam. et alia etales, quae in officina noſtra proſtant. Porro emulſiones, Electuaria Pector. Syrupi Pector. hed. terreſtr. de alth. Fernel. de mecon. ol. amygdal. dulc. lini, ſperma Cet. Conſervae Hyſſop. Menth. Theriac. V. Diaſcord. Philon. Roman. Extracta Theriac. Croc. Enul. Veron. Card. bened. Chaerefol. Chamom. Torment. M. Pill. de Styrac. de Cynogloſſ. Laud. Opiat. Conf. Alkerm. atque alia talia, ex quibus unum, vel alterum, aut etiam complura praeſcripſi ex uſu aegrorum, quem longum foret ſingulatim referre ac formulis illuſtrare.

§. 82.

Omnes illae febres (§. 81.), una cum vere deſierunt, quod ſecuta eſt aeſtas praearida ac aeſtuoſa, rara et inſueta coelo Cronſtadii (§. 52.), qua adulta omnes plerique morbi conquieverunt, praeter graves inveteratas, qui itidem tolerabiliores tum erant, quam unquam ſequenti tempore.

§. 83.

Ita comparatam aeſtatem (§. 82.) excepit autumnus ſiccus et frigidus, raris ac puuſillis morbis acutis notatus, eumque matura et aequabilis hyems, copioſis nivibus ſiccis comitata ac ita continuata usque ad initium ſequentis anni ſeu 1731. Quae omnia cum in praeſens ſalubria, tum in futurum ſanum et foecundum annum praeſagiebant, niſi alterum deſtituiſſet eventus. Nam ſub initio februarii coorta eſt febris catarrhalis, praenuncia inſecutae conſtitutionis epidemicae. Quam, nempe febrim, praeceſſit per aliquot dies tempeſtas nivoſa humida, emollito frigore, ac reliquo tempore alternavit cum frigida et ſicca; licet vigente illa nec nives humectae ſemper inguerent, nec ventus marinus flaret, qui primam advexit. Porro deflexam a tenore ſuo hyemem ſecutum eſt ver conſimile, hoc eſt, humidum et frigidum prae nive et glacie, quae diu perſtiterunt; denſa item et caliginoſa pruina aliquoties extremum ejus ſeu prin-

principium aeſtatis deformatum, exuſtis herbis et floſculis, vix dum germinantibus. Imo tota illa aeſtas frigida fuit et humida, modico calore interpolata.

§. 84.

Catarrhalis illa febris incipiente februario coorta (§. 33.) promiſcue graſſata eſt in incolas Cronſtadii, ex quibus nautae catervatim, reliqui cujusque conditionis et ſexus ſparſim conflictati ſunt pari ſymptomatum moleſtia et vehementia. Nam omnes communiter invadebat frequenti totius corporis horrore atque calore, primum inter ſe reciprocatis, deinde immane quantum calore praevalente, nec non angente tonſillarum et faucium inflammatione, quae indies crevit usque ad ſtatum, opplente interea tenaciſſimo muco tum eas partes, tum nares infeſtae gravedinis nomine. Quo fiebat, ut nonniſi hiante ore ſpiritus ſonorus duceretur, quibusdam poene interceptus. Quibus cum inde a principio jungebatur vertiginoſus et pon-

deroſus quidam capitis dolor, propenſus per vertiginem in deliquium animi, qui in fronte longe atrox et, ut aegri ajebant, veluti urens erat, manifeſto cum exteriore ejus ardore, qualis in reliquo capite non percipiebatur. Ad haec levis ſurditas et ſuſurrus aurium, oculi tumiduli ac frequenti rubore variati, ex vaſculis ſanguineis, turgidis et conſpicuis; item ex muco caligantes, quorum bulbi vehementer dolebant. Quin ſingulis aegrorum totum reliquum corpus dolore rheumatico ſeu cum levi quaſi contuſionis et lancinationis ſenſu moleſtante inquietabatur, lumbi atroci oſteocopo, et quibusdam crura. Quae omnia exaſperabat frequens et vehemens tuſſis, et hanc glutinoſus mucus, faucibus et bronchiis affatim impactus, qui propterea aegre ac vix exſcreabatur. Hinc lingua exarefacta quidem, ſed muco albicante circa radicem craſſe oblinita, quemadmodum fauces ac tota interior oris ſuperficies. Somnus perpaucus, inquietus et ut plurimum delirus. Quin non pauci vere delirabant. His denique

re-

reſpondebat pulſus perquam magnus, durus et celer, praeter vires, quae ſupra, quam ſuetum eſt iſtius modi febri, proſtratae cum ſtupida quadam taciturnitate; cujus ſciſcitanti mihi cauſam allegabant aegri ponderoſum illum et vertiginoſum capitis dolorem; ut qui propenderet in deliquium animi, quemadmodum dixi, ac interdum reipſa degeneraret per pauca momenta, ſi caput paulo incaute moveretur.

1.) Ordinarius iſtius febris (§. 84.) curſus longius aliquanto ſpatium temporis emetiebatur, quam is ſuperiorum, (§. 81.), hoc eſt, intra duodecimum et decimum ſextum diem abſolvebatur, raro terminum iſtum anticipavit, ſaepe ſupergreſſus eſt, prout febris auctior aut remiſſior, vel inflammatio faucium major aut minor fuit. Sic etiam pulſus tardius reſidebat. Solvebatur autem partim ſcreatu mucoſo, partim ſudore largo, in quem maxime inclinabat febris iſta; utpote qui aliis quidem nychthemeri horis emicabat in univerſo corpore, matutinis vero (circa quas febris

pauxillum remittebat, ac pomeridie intendebatur) ubertim manabat. Multis praeterea efflorefcebat purpura ut plurimum incipiente declinatione, ac plerisque omnibus, purpuratis ſcilicet, diffundebatur tantum per artus et pectus, pauciſſimis totum maculavit corpus.

2.) Inter medicamenta primum obtinuit locum phlebotomia, quam raro omiſi, ſaepe iteravi propter nimium aeſtum et pulſum impenſe magnum ac durum (§. 83.), quibus reſpondebat cruſta ſanguinis inflammatoria, perquam tenax et craſſa, quae colligebatur in ſuperficie cruoris e vena ſubtracti, nullo ſecedente ſero.

3.) Phlebotomiae (no. 2.) ſubjunxi aliquot medicamenta ex illis, quae ſupra recenſui (§. 81. no. 2.). Prae caeteris vero eſſ. Croc. Enul. Scord. Pimpinell. Succin. Spir. Theriac. Mixt. ſimplic. Tinct. Bezoard. Liquor. C. C. ſucc. C. C. philoſoph. Conch. praep. Nitr. depur. Tartar. vitriolat. Crem. Tartari, Extr. Croc. Card. bened. Chamomill. M. pill. Cynogloſſ. Laud. liquid. S. Spirit. Nitr.

dulc.

dulc. et Aquas deſtillat. diapnoicas cum ſyrupis acidulis et aliquot ex prioribus. Atque haec ipſi febri. Pro muco evacuando et mitiganda tuſſi exhibui linctum compoſitum ex ſyrupo quodam pectorali, ſperm. Ceti et oleo amygdal. dulc. aut lini. Item ſaepe ſucc. liquirit. cum ſpermate Ceti. Faucibus autem inflammatis proſpexi gargarismate ex ſyrupo berb. vel de ſucco Limon. cum aqu. deſtillat. acetoſ. et flor. ſambuc. quandoque aquis ſuffeci decoct. Pectoral. quod alias pro potu ordinavi. Subinde quoque adhibui penicillum ad detergendum mucum, quem non ſemper abſtergere poterat gargarisma. Cephalalgia et vertigo, contumaciores, unice ferme cedebant phoenigmis nuchae appoſitis ac interdum iteratis, quum ſcilicet febris ſolvebatur, cephalalgia et vertigine perſiſtentibus, uti multis evenit. Fronti ferventi applicui epithema euporiſton, hoc eſt, panem atrum, aceto irroratum, et pauxillo Nitr. pulveriſati aſperſum. Deliria compeſcebantur phoenigmis, injecto prius clyſtere.

§. 85.

§. 85.

Duravit febris illa (§. 84. et no. 1.) uno tenore per viginti circiter dies, dein paulatim remiſit, inſurgente interea febri intermittente (quam penultimo loco referam), item pleuritide vera et peripneumonia, quae menſe exacto, computato ſcilicet dierum numero a principio conſtitutionis, praevaluerunt pari et aegrorum numero et ſymptomatum vehementia, priore nempe catarrhali, ſenſim immutata et evanida. Ubi notandum, me terminum conſtitutionum partialium (Μερικῶν) non ex omnimoda ſumere abolitione, quae ſerotina eſſe ſolet, ſed ex notabili remiſſione, praevalente interea alia, qua cum praevia mixta immutatur, quoad penitus evaneſcat. Caeterum pleuritidi huic et peripneumoniae proprium erat acutus lateris alterutrius dolor, in quibusdam majus ac poene totum occupans pectus, porrecta ſcilicet quaqua verſum punctura ex communi quodam loco, fortius dolitante, in quibusdam minori defixus et acu-

acutius pungens. Caetera omnia, praeter inflammationem faucium, gravedinem atque profundum oculorum dolorem, quibus comparate carebant, communia ipſis erant cum praecedenti (§. citat.). Quin ſimili quoque modo ſolvebantur, nempe ſputo mucoſo et ſudore, in quem aeque, ac prior, propendebat (§. et no. citat.), praeterquam quod purpura vix uni alterique, quod ſciam, effloruerit. Neque multo diverſam a priore medicationem poſcebant, quando ſcilicet eadem ipſis appoſui remedia (§. citat. no. 2. 3.), paucis vel omiſſis, vel mutatis. Ubi et hoc notandum, quod ſanguis e vena, in multis iterato, miſſus perinde craſſam et glutinoſam exhibuit cruſtam inflammatoriam nullo ſecedente ſero, ac is in praecedenti periodo (§. citat. no. 2.).

§. 86.

Porro febres illae tantum circiter temporis uniformes emenſae, quantum praevia ipſis catarrhalis (§. 85.), paulatim

tim coeperunt ſatiſcere, jam ſuboriente rheumatiſmo, ac paulo poſt longe lateque ſerpente, quo cum et ſcorbutus inchoavit, de quo ultimo loco dicam. Rheumatiſmus autem is, ſummatim ſpectatus, praeter febriculam quandam, ſibi tum propriam, unice ferme conſtabat peculiaribus univerſae conſtitutionis ſymptomatibus, nempe ponderoſo et vertiginoſo capitis dolore, in fronte quaſi urente cum notabili ejus ardore exteriore, propenſione in animi deliquium, dolore tam totius corporis rheumatico, quam lumborum oſteocopo, inſolito virium defectu et ſtupida quadam taciturnitate (§. 84.). Quae omia multo deteriora fuerunt, quam in prioribus conſtitutionis curriculis (§. 84. 85.). Quo factum eſt, ut, prout unum atque alterum inter caetera dominabatur, varie morbum hunc transformaret, alioquin unum eundemque. Hinc videre erat in hac periodo aegrorum complures rheumaticos, quales jam perhibui, quosdam phrenitide non adeo gravi, alios aucta arthritide, non nullos etiam catache ſeu catalepſi correptos.

1.) Per-

1.) Perfecte quidem catalepticos (86.) duos vidi, alterum poſt alterum, interjectis forte primum inter atque ſecundum octo diebus, quo tempore ſummum incrementi ſui gradum periodus attigerat; pronixos vero catalepſi (quae definiri poteſt per ſubitum ſenſuum et membrorum lapſum, corpore utcunque ſano apparente) plures, eosque ex numero rheumaticorum, qualès erant illi, in quibus febris apparebat exigua, vires nimium proſtratae, oculi patentes ac defixi in unum locum, profunda taciturnitas, casſa propemdoum cogitationum. Vertigo deliquio animi proxima, quod levisſima ex motione corporis ac inprimis ex erectione capitis oriebatur, per aliquod momenta. Porro corpus diu quietum uno in cubitu, nutante quaſi capite, loquela languida et curta, eaque percontatione elicita, facies ſubflava, pulſus pro magnitudine morbi ferme naturalis, hoc eſt remisſus, aequabilis ac parum celer, qualis in plerisque omnibus fuit ſub hac conſtitutione. Quod ad catalepticos attinet, eorum facies apparebat ſa-

ſana, oculi naturaliter aperti et nitentes, ſed plane immoti. Os aliquantum hians reſpiratione libera et naturali. Omni modo aphonia et anaeſtheſia, hoc eſt, vocis et ſenſuum uſus abolitus. Conſtans membrorum lapſus, quae, quocunque in cubitu poſuisſes, manebant. Febris nulla; pulſus naturalis. Uterque autem correptus eſt derepente, nullo antea morboſo incommodo affectus, atque adeo ſanus, ut ſocii ajebant, qui aſportabant illos in noſocomium. Ipſi aegri ſe ſe omnium, quae ſecum esſent acta, ignaros profesſi ſunt, poſt quam recuperarunt uſum ſermonis, et ſenſuum. Recuperarunt autem, favente Deo, per amplum et forte veſicatorium nuchae appoſitum, item per linimentum ex Spir. Formic. cochl. Sal. amm. et Aqua Regin. Hung. quo caput, detonſum prius, illiniebatur forti cum frictione; adhibita praeterea hac mixtura et usque ad finem morbi continuata: Rec. Spirit. Theriac. C. drachm. ij. liquor. C. Cerv. ſucc. drachm. j. M. pro duabus doſibus, quae infundebatur in os aegrorum, ſupinato aliquantum capite,

pite, dum catalepſis durabat. Duravit autem per unum diem; nam poſtridie, quam medicamenta adhibui, redibat utrique aegrorum ſermo et functio ſenſuum ac membrorum cum aliqua febricula, viribus duntaxat proſtratis, quae brevi erigebantur, ita ut ſeptimo die utrumque jam ſanum dimiſerim ex noſocomio.

2.) Arthritis (§. 86.) in plerisque, quos invaſit, acuta et vehemens erat. Varias praeterea torſit partes, nempe aliis lumbos, aliis iſchia, aliis artus, quorum in plerisque ſimul aderat rheumatismus, nonnulli a rhematiſmo immunes, ſola arthritide vexabantur. In uno alteroque ischiaticorum applicui ischiis dolentibus amplos phoenigmos, partim volens experiri uſum illorum, in ischiade laudatum a quibusdam, partim ſperans non parum profuturos, quod nuchae vel ſuris appliciti omnibus plus minus profuerint, in hac et prioribus periodis (§. citat. et §. 84. no. 3. §. 85.); ſed eventus non reſpondit, etſi operatio bene ſucceſſit elevatione puſtularum et

 efflu-

effluxu humoris ſeroſi. Perſeveravit enim dolor, qui magis cedebat calori et aliis externis remediis, mox (no. 5.) recenſendis, ac una cum febricula tarde remittebat.

3.) Quemadmodum vero ipſe morbus in diverſis aegris diverſus apparuit, alioquin unus idemqne (§. 86.), ita quoque curſus ipſius variavit, ſcilicet in aliis longior, in aliis brevior fuit. Summatim autem brevior ſeptimo circiter die, longior decimo ſexto vel vigeſimo terminabatur, modico ſudore quotidie ſuccedente, purpuraque ſcorbutica primum in paucis, deinde in omnibus prope effloreſcente, plerumque per univerſum corpus, quae et ſequentes conſtitutionis periodos ſeu peculiares morbos promiſcue comitata eſt, inprimis vero ſcorbutum.

4.) Phlebotomiam raro in hac periodo conſtitutionis adminiſtravi, quod febris remiſſa pulſu debili ac tot aliis ſymptomatibus ſtiparetur (§.86.). Quorum concurſus phlebotomiam disſuadebat, cum et cruſta in ſanguine paucorum,

rum, quibus ſecta eſt vena ob febrim et pulſum majusculum, tenues nempe reliquias praecedentium febrium (§.85.86.), perexigua eſſet.

5.) Medicamenta interius profuerunt volatiliora ſelecta ex ſuperioribus (81.no.2.), ac varie mixta pro variis indicationibus; exterius adhibui phoenigmos, Spir. Vini camphor. unguent. Martiat. Nervin. ol. therebinth. philoſoph. laurin. Empl. diaphor. de Laud. de Minio c. ſapone, atque id genus alia.

§. 87.

Generalis rheumatismi (§.86.) periodus aliquanto longior exſtitit illa praecedentium febrium (§. 85. 86.), quam ſolenni ſucceſſione (§. 35.) excepit febris quaedam omnium, quas unquam vidi, ardentiſſima ac pro coelo et bruma Cronſtadii fidem propemodum ſupergreſſa, niſi experiundo cognoviſſem. Quippe quae inchoans aliquo horrore mox immane quantum aeſtuabat inprimis incipiente ſtatu, ſub quo aeſtus

ſſimmus et immaniſſimus fuit. Cui inde a principio reſpondebat pulſus nimium durus, hoc eſt, magnus, plenus et celer, cum inſigni rigiditate; porro facies ſubrubra, oculi a principio rubentes, dein adoleſcente morbo caligantes ex ſpiſſamento mucoſo, quo craſſe incruſtabantur, quale quandoque colligitur in oculis moribundorum. Lingua prorſus exarefacta, nigricans, retorta ac hinc inde fiſſa inſtar ſoleae veteris. Sitis ingens ac inexhauſta. Tuſſis magna ac frequens. Sputum tenue et multis incipiente ſtatu cruentum. Multis praeterea largae narium haemorrhagiae. Quibusdam et ſputum cruentum et haemorrhagiae narium. Quales excretiones cruentas rariſſime vel ante hac vel poſtmodum conſpicatus ſum in febribus ardentibus, praeſertim vero haemorrhagiam narium, quam in paucisſimis vidi. Inter quos memini unicum, qui non ita pridem febriebat ex inflammatione hepatis, indicante illum dolore hypochondrii dextri et ictero flavo, cui deliro ac ſui per triduum inconſcio, aliquoties

ties contigit copioſa haemorrhagia narium, per quam liberatus a deliriis et febri, ſoluta paulatim inflammatione, tandem ſero convaluit. Caeterum deliria frequentiora et vehementiora erant in hac febri, quam in prioribus (§. 84.-86.), ſic etiam cephalalgia acutior et urentior, etſi non aeque vertiginoſa. Reliquae vero peculiares totius conſtitutionis affectiones (§. 86. 84.) variabant, id eſt, quibusdam vehementiores, aliis remisſiores, nulli tamen aegrorum deerant. Ita neque remiſſione antelucana et exacerbatione nocturna carebat febris iſta, etſi neutra esſet adeo notabilis, quod ipſa febris, per ſe vehementisſima, non poterat vel in majorem asſurgere gradum, vel in valde minorem reſidere.

1.) Ordinarius iſtius febris (§. 87.) curſus in ſingulis decimum quintum diem ſupergresſus, vix in uno vel altero infra illum conſtitit. Solvebatur autem ſudore, ſputo, haemorrhagia narium et purpura. Sudor inde a principio aderat, circa di-

luculum copioſus, reliquo tempore modicus, ut in praecedentibus (§. 84. no. 1. et §. ſequent.). Sputum ſimplex a principio praeſto erat, quod circa finem paulatim diminutum una cum febri evaneſcebat. Cruentum et haemorrhagiae narium incipiebant cum ſtatu, quemadmodum dictum eſt (§. 87.). Atque illud continuabat, haec aliquoties redibat, quoad febris declinaret. Purpura effloruit plerisque incipiente declinatione, nonnullis circa ſtatum, paucis inde a principio. Omnibus vero per totum corpus diffuſa, denſior in artibus et pectore, rarior in reliquo corpore.

2.) Phlebotomiam in omnibus opportune inſtitui et in multis mature iteravi, niſi forſitan ſputum cruentum vel haemorrhagia narium (§. 87.) apparens me abſtraheret ab illa, in iis ſcilicet aegris, qui tardius adducebantur in noſocomium. Omnium autem ſanguis e vena misſus crasſam et glutinoſam exhibuit cruſtam inflammatoriam prae omni alia, quam unquam in febribus ardentibus vidi,

quae

quae progreſſu morbi tenerascebat et evaneſcebat, ut latius ſequenti capite dicetur.

3.) Medicamenta interius praeſcripſi diluentia et nitroſa, ſelecta ex ſuperioribus (§. 81. no. 2.), prout uſus poſcebat. Fronti communiter applicari curavi epithema euporiſton (§. 84. no. 3.). Deliria primum tentavi clyſtere, bis de die injecto, et epithemate fronti, volis manuum et plantis pedum appoſito, ac, niſi his cederent, invitus propter nimium aeſtum (§. 87.) pergebam ad veſicatoria. Quae nihilo minus feliciter operabantur tam in inflammatione meningum, quam in illa pulmonum, modo labes praevia abeſſet, vel ipſa inflammatio non eſſet nimium fervida. Caeterum plures moriebantur in hac periodo conſtitutionis, quam in prioribus (§. 84. - - 86.).

§. 86.

Immanem illam febrem ardentem (§. 87.) non multo poſt ſecuta eſt atrociſſi-

ciſſima pleuritis ſpuria, juxtaque cum illa inceſſit per quindecim circiter dies, donec defervente ſenſim illa, latius ipſa ſerpens provaluit, ac ſola cum febri intermittente (§. 85.) atque ſcorbuto (§. 86.) graſſata eſt aliquanto diutius, quam cum priore, quoad et ipſa fatiſcens deſiit, perſeverante ſcorbuto et febri intermittente. Praecipua vero iſtius vehementia conſiſtebat in peracuto et intolerabili dolore, parvum ſpatium alterutrius lateris punctim torquente. Quod ſpatium ſeu ſedes morbi variabat. Aliis enim circa coſtas veras, aliis circa ſpurias defigebatur, porrecto inde dolore quaqua verſum ac ſuffocata prope reſpiratione. Communiter autem dolor oriebatur confeſtim, praevio corporis horrore, comite frigoris acuti tunc temporis vigentis, quod multum ſane contulit. Siquidem ſoli nautae aliique gregarii milites catervatim colluctati ſunt hac pleuritide, caeteris Cronſtadii incolis ſparſim ac mediocriter laceſſitis. Dolorem mox ſequebatur tuſſis ſicca, tardius calor febrilis modicus, in quibusdam vix

na-

naturalem ſuperans. Lingua ſuboriente calore paululum ſiccabatur, quibusdam ſpisſamento mucoſo illinita. Facies primum livida, deinde diſcuſſo horrore per calorem ſublava, micante ſimul in oculis tenui quadam flavedine. Porro communia quoque ſingularum periodorum ſymptomata ſeu periculares univerſae conſtitutionis affectiones (§. 86. 84. et §. ſequent.) remisſae praeſto erant; item purpura, ſed haec non in qualibet, ut ſymptomata illa.

1.) Vehementia doloris (§. 88.) non ultra diem unum alterumque durabat. Neque enim diutius tolerari poterat, ſalva vita. Quo factum eſt, ut, quot quot hac pleuritide interierunt, alii eodem, quo correpti ſunt, die interierint, alii poſtero, quidam etiam primis invaſionis momentis, dum excubias vel alia iſtius generis munia agebant. Praeſentisſimum remedium fuit venae ſectio parca ſine mora adminiſtrata, exhibito mox decocto pectorali calido, linctu et aliis pleuritidi debitis (§. 81. no. 2.); item fota continuo parte dolente calidis

 emol-

emollientibus, ac ſimul injecto clyſtere emolliente, ſi dolor coſtas ſpurias et hypochondria torqueret. Sanguis e vena miſſus ut plurimum ruber, modico ſero praeditus, carebat cruſta inflammatoria, quae, ſi quando appareret, tenuis erat, nec ubique contegebat ſuperficiem cruoris, hoc eſt, hinc inde in ſuperficie illius apparebat.

§. 89.

Febris intermittens non multo poſt catarrhalem exorta (§. 85.), rara et mediocris, procedendo in dies crevit, cum frequentia aegrorum, tum vehementia ſymptomatum, mutato quandoque typo, viguitque usque ad medium junium, ac denique paulatim fatiſcens una cum ſcorbuto deſiit (§. 86. 88.), adoleſcente aetate. Ordinaria typum prae ſe tulit quotidianae, rariſſime tertianae, ſtato utcunque tempore redeunte paroxysmo, atque, ſi ſcorbutus ipſi non ſuperveniret, intra duas vel tres hebdomades finiebatur, ſolutis paroxysmis per largum ſudorem, in quem aeque ac

reli-

reliquae febres ſociae (§. 84. -- 87.), inclinabat, communibus illis affectionibus (§. 86. 84.) ſtipata. Quae in aliis conſtitutionis curriculis intenſiores, in aliis remiſſiores fuerunt, pro tenore generali in unoquoque curriculo obtinente.

1.) Anomala ſeu inordinata (§. 89.) unice degenerabat ex quotidiana vel tertiana, quatenus paroxysmus primum ſingulis diebus rediens, deinde vel bis uno die repetebat, vel unum alterumque et quandoque plures interquiescebat dies, ac rurſus ex hac norma paulo poſt reflectebat aut in primam, aut in aliam quandam, quoad vel paulatim fatiſcens una cum ſcorbuto deſineret, vel interimeret aegrum, praevalente ſcorbuto, quocum aſſidue jungebatur, poſtquam ſcilicet ſcorbutus exortus (§. 86. 88.). Ex eo enim omnibus, febri intermittente correptis, effloruit purpura, et habitus corporum evaſit cachecticus, gingivis identidem flaccidis ac tumentibus. Quin pleroſque illorum completus invaſit ſcorbutus hujus conſtitutionis, illa vel adhuc perſiſtente, vel jam

exo-

exoleta. Item nonnulli per vices correpti ſunt, repetente ſcilicet altero affectuum, dum alter ceſſabat.

2.) Porro aliam adhuc obſervavi differentiam, nempe variam moram et vehementiam paroxysmorum in variis conſtitutionis curriculis. Quae ita ſe habebat: vigente pleuritide et peripnevmonia (§. 85.) paroxysmi fuerunt vehementes cum frigore tum calore, et ſpatio trium quatuorve horarum finiebantur. Ubi notandum, me paroxysmum determinare ex notabili frigore et calore, non ex qualibet aegritudine, quando variae etiam ſpatiis lucidis ſeu tempore apyrexiae aderant. Caeterum rheumatismo obtinente (§. 86.) paroxysmi exſtiterunt productiores et remiſſiores, ſed permoleſti ac ſaepe numero anxii, per communia ſymptomata, gravius tum dominata (§. 86. 84.). Omnium vero vehementiſſimi, neque minus longi, fuerunt, dum ardentiſſima febris graſſabatur (§. 87.). Tum enim et frigore ſummo diu aegri concutiebantur, tremente vehementer ſponda, in qua decumbebant,

bant, et immani aeſtu flagrabant; quorum aliquot interea delirabant, alias mentis compotes. Pleuritis ſpuria (§. 88.) febri intermittenti ſuperveniens ut plurimum jugulabat aegros, non ex ſpectatis paroxysmis. Quod ſi ipſa pleuritidem declinantem exciperet, ut ſaepe evenit, paroxysmos modificabatur tenor illius tum obtinens. Qui ſummatim ſpectati moleſtiores, vehementiores et longiores fuerunt, quam in tribus prioribus periodis (§. 84. 85. 86.), ſed remiſſiores et breviores, quam in quarta (§. 87.).

3.) Quales poſt quartum curriculum perhibui paroxysmos (no. 2.), tales plus minus exiſterunt reliquo tempore donec febris univerſa declinare coepit, qua cum et ipſi remittebant, niſi praevaleret ſcorbutus, qui ut ſubinde typum (no. 1.), ita ſaepe paroxysmos conturbabat, ut in quibusdam eſſent vel vehementes et inaequales, frigore aut calore exuberante; vel remiſſi et longi, continuato horrore et calore volatico. Vel ſolus horror perciperetur volaticus, ſu-

pres-

preſſo calore, vel vice verſa ſolus calor volaticus ſuppreſſo horrore; vel denique et hic et ille ſupprimeretur, praevalente anxietate, ac ſimul deliquiis animi inſtantibus.

4.) Medicamenta profuerunt partim antiſcorbutica (§. 90. no. 5.), partim antifebrilia (§. 81. no. 2.). Phlebotomia in ſecundo conſtitutionis curriculo non paucis adminiſtrata eſt. In tertio perpaucis, in quarto compluribus ac multis iterata, imo nonnullis tertio inſtituta propter enormem cruſtam ſanguinis inflammatoriam et pulſum magnum ac durum; reliquo tempore raro adhibita, quod ex eo memorata ſanguinis cruſta paulatim evaneſceret, incipiente jam aeſtate (§. 89.), quae antea in una quaque periodo exacte reſpondebat illi in ſanguine acute febrientium apparenti (no. 2. §. 84. no. 2. §. 85. 86. no. 4. §. 87. no. 2.).

§. 90.

Scorbutus tertia conſtitutionis periodo (quae incidit in martium menſem) inchoavit, quemadmodum ſupra dixi (§. 86.)

(§. 86.), primum unum atque alterum deinde plures pluresque invadens, quoad brevi tempore aequavit multitudine aegrorum a ſe correptorum febres tum inceſſentes (§. 84. - 89.), ac poſtremo ſingulas ſuperavit. Sic autem incepit: primum ſuffundebantur palpebrae livore, exacte referente ecchymoſim ſeu vibicem ex violento ictu vel caſu, evadente interea facie tumidula et ex lurido flava. Eodem tempore vel paulo poſt foede intumeſcebat et flaveſcebat univerſum corpus, purpura ut plurimum interſtinctum, in primis artus et pectus. Item brachia ab axillis cubitum usque, et femora ab inquinibus genua usque, utraque interius, ſeu in regionibus ſibi obverſis, ſuffundebantur vibicibus diſcretis, paulatim in unam amplam coaleſcentibus, ac ſubinde extrorſum porrectis; ſimul magnopere tumebant cum enormi duritie et aliquo dolore, eoque privabantur motu, tumefactis una tendinibus ac ſaepe contractis. Porro dum haec fiebant, gingivae liventes et molleſcentes tumebant inſtar fungoſae putridae carnis, caput ſomnolentia grava-

vabatur. Corpus veluti laſſum et cachecticum torpebat, cruribus enormiter imbecillis et vacillantibus. Alvus fiebat ſegnis. Pulſus languebat. His accedebant inde a principio peculiaria conſtitutionis ſymptomata (§. 86. 84.), aliquantum remiſſa, praeter vires, quae perinde ac ſub rheumatismo (§. 86.) proſtratae erant. Ita quidem incepit et menſtruo circiter ſpatio coutinuavit, in dies latius gliſcens. Tum efferatus et vehemens toto aprili et majo usque ad medium circiter julium perſeveravit. Enim vero vibices ex palpebris in genas et collum effuſae, multis albugine oculorum, (quod antea flavebat), craſſe ſuffuſo ſanguine, veluti in cruſtam quandam ſpisſato, ex brachiis partim in humeros, collum, pectus et quibusdam abdomen usque quaqua verſum porrectae, partim in cubitum ac nonnullis uſque in carpum propagatae et quaqua verſum luxuriantes; ex femoribus perinde quaqua verſum ſerpſerunt, communiter vero in tibias, ubi ſaepe numero coaluerunt in unam fervidam, quaſi chronicum quoddam eryſipelas, ubique comitan-

tante illas ingenti tumore et ſaxea quaſi duritie; item caeteris jam indicatis incommodis comparate auctis. Imo nulla non ſymptomata ſcorbuto familiaria defuerunt. Hinc multi ingenti anaſarca totius corporis, quandoque eryſipelatode, correpti, multi hydropici facti (§. 7. no. 2.); item nonnulli phthyſici (§. 1. no. 2.); multi torminibus ventris cruciati cum ſumma et diuturna contractione abdominis, alvo modo adſtricta, modo laxa (§. 4.); aliquibus gingivae et fauces ſideratae. Aliquot amentia, aliquot paralyſi, alii conſtanti contractione artuum correpti, nulli non effloreſcente purpura, quae in quibusdam interpolabatur ſcabie, aut aliis maculis, aut furunculis ſcorbuticis, qui ſaepe erumpebant intra vibices. Imo ipſae vibices in partibus carnoſis quandoque extuberabant inſtar bubonum.

1.) Vibices (§. 90.) neque ſuapte natura neque arte ſuppurari poterant, ut ut ſpiſſae ac praedurae fuerint, ſed communiter diſſolvebantur inunctione, vel unguinoſa, vel ſpirituoſa. Non enim omnes ferebant unguinoſa. Unam

alteramque ex illis, quae inſtar bubonum extuberabant, item aliquot furunculos (§. citat.) partim ſuapte natura, partim arte emollitas, ac pro judicio tactus maturatos aperui, in quibus nullum inerat pus, ſed merus cruor ſubater et diſſolutus, ambitu cavitatis, ſatis profundae, quaſi ex fungoſa putri carne conſtante, pendentibus hinc inde fibris mollibus, attritu digitorum in ſimilem cruorem diffluentibus. Aliquot adhuc vibices et furunculos in conſtitutione verna ſequentis anni, ſimiliter emollitos, aperui, in quibus ſimilis plane continebatur cruor, nullo exiſtente pure, ambituque cavitatis perinde ſe habente. Porro et hoc notavi, quod in hac conſtitutione furunculi et vibices extuberantes magis per ſe inclinabant ad emollitionem, quam in ea de qua nunc memoro. Hoc anno unicam vibicem ſcorbuticam in cubito vere ſuppuratam conſpexi. Aegro recidente interea ex ſcorbuto in citam phthiſin, ex qua paulo poſt interiit, ſimiliter forſitan illis, qui ex magnis apoſtematibus, maturatis, ſup-

pu-

puratis, et conſolidatis, moriuntur per levem febriculam, poſt modum exortam (§. 11.).

2.) Paulo ante, quam epidemia iſta incepit (§. 83.), febriebant acute diverſo tempore quatuor adoleſcentes gentis tartaricae, prodente originem facie, duo cujusque ſexus, adducti huc ex oris ſibiricis a capitaneo quodam, quibus interea eruperunt frequentes per totum corpus furunculi non abſimiles ſcorbuticis (§. 90.). Quorum multi ſuperficietenus emolliti, manentibus baſibus duris, fundebant ſanguinem fluidum rubrum, quoad omnes deliri interierunt. Idem capitaneus narravit mihi gentem iſtam, (quae carne tantum et lacte veſcitur, ut pleraeque incultae ſibiricarum regionum), nunquam variolis, aliquando populatim corripi iſtius modi furunculis atque confeſtim interire. Calmuccos Ruſſiae vicinos plane immunes eſſe a variolis notiſſimum eſt, etſi non ita pridem graſſata ſit inter illos peſtis, per commercium traducta. Quot quot pueri ac puellae ex gentibus illis rudibus tradu-

cuntur in Ruſſiam, ibique vitam agunt, omnes corripiuntur vel ſcabie, vel furunculis, vel aliis cuticularibus tuberculis, ex quibus pauci revaleſcunt, plerique moriuntur. Caeterum amplius nuper audivi a viro quodam, exploratae fidei ac longe experto in hujusmodi rebus, omnes plerosque equos calmuccicos (qui ſolo gramine aliisque herbis, ſibi idoneis, veſcantur in campis patentibus, quas hyeme ipſi colligant, effoſa ungula nive) mortifera corripi ſcabie, vel alio quoddam vitio ineluctabili, ſtatim atque a Ruſſis coempti avenam comedere incipiunt, ut e viginti vix quinque ſuperſtites et ſani permaneant. At haec obiter.

3.) Caeterum ſcorbutum illum, peſſimum per ſe morbum (§. 90.), pejorem efficiebat febris intermittens, quae ſaepe ipſi ſupervenit, ſicut ipſe perpetuo illi (§. 89. no. 1.). Quod ipſum etiam cum aliis morbis ſive acutis ſecum a latere graſſantibus (§. 86. - - 88.), ſive chronicis cujuscunque generis egit. Enim vero nullus ferme exſtitit in noſocomio

vel

vel extra noſocomium aeger, chronico morbo detentus, quem ſcorbutus plus minus non affecerit. Hinc omnes morbi chronici graviores erant ea tempeſtate quam ulla alia verna, etſi quotannis ſcorbutus plerisque ſe ſe immiſcebat. Caeterum ut ipſe febres acutas declinantes communiter excipiebat, ita ipſum quandoque illae inviſerunt, imo ſaepe cum ipſo inceperunt. Quod non tantum in hac conſtitutione, verum etiam in qualibet alia obſervavi. Nimirum quolibet verno tempore videre mihi contigit non paucos corripi completo ſcorbuto et febri acuta, vel ſimul coorto utroque affectuum, vel altero non multo poſt alterum. In iſtius modi aegris phlebotomiam moderor ex magnitudine febris individuae et ingenio univerſae ſeu latius dominantis; atque adeo vel omitto, vel committo. Id quod ſaepe egi cum aegris, in hac, de qua memoro, conſtitutione affectis. Quoniam et ingenium conſtitutionis phlebotomiam ſummatim poſcebat (§. 84. no. 2. §. 85. 87. no. 2. §. 88. no. 1 §. 89. no. 4.) et febris

 acu-

acuta individua, ſcorbuto videlicet completo promiſcua, aemulabatur univerſam, ut quaelibet alia talis aemulari ſolet eam, quae latius ſerpit, ſicuti viciſſim ſcorbutus ſcorbutum. Quamvis enim ſcorbutus ineunte quolibet vere recrudeſcens potiores notas generales prae ſe ferat, tamen ſpecialibus variat, ut per quatuor annos obſervavi.

4.) Curſus ſcorbuti (§. 90.) in ſingulis lentus et varius exſtitit. Simplex et levior menſtruo circiter ſpatio ſolvebatur; gravior per duos tresve menſes et in quibusdam diutius durabat; graviſſimus, quomodocunque talis fuerit, unice cum vita aegrorum finiebatur.

5.) Medicamenta adhibui uſitata antiſcorbutica, nempe decoct. ſummit. Pini pro potu ordinario, quandoque mixtum cum pectorali. Elix. Pectoral. Wed. Proprietat. vitrioli Mynſ. eſſ. antiſcorb. trifol. fibr. Pimpinell. Enul. Calam. aromat. antifebr. Millefol. abſinth. Stomach. Croc. Spirit. Cochlear. Hyſſop. Theriacal. Spirit. Sal ammon. ſimplic. et aniſat. C. Cerv. liq. C. C. ſuccin.

Mixt.

Mixt. ſimplic. Tinct. Bezoard. Pectoral. R. D. Antimonii Tartariſat. gummi ammoniac., Aloes et Myrrh. Terr. Catechu, Panchymagog. Conſ. Cochlear. Hyſſop. Menth. Roob Sambuc. Mell. roſat. Extr. Theriacal. Cochlear. Abſinth. C. Bened. Enul. Panchymagog. Catholicon. M. Pill. de 2bus, de 3bus, pulv. purgantes, Cornachin. articular. Cr. Rad. Extr. et Reſin. Jalapp. Scamon. Sulphurat. Merc. dulc. decoct. Laxativ. Tartar. vitriolat. Nitr. Sal abſinth. flor. Sal ammon. et ipſum Sal ammon. depurat. Cinab. atque ut ſummatim dicam omnia amara et aromatica ac pleraque in officina noſtra uſitata medicamenta, prout uſus poſcebat. Exterius profuerunt unguent. Nervin. Martiat. de Alth. ol. Laurin. pingued. canin. Empl. Diach. oxycroc. Opodeldoch, defenſiv. utrumque, fotus ex herbis aromat. formic. Spirit. formic. item Spirit. Vini camph. atque id genus alia.

6.) Poſtquam ferus et vehemens ad medium usque junium ſcorbutus perſtitit (§. 90. 89.), ex eo declinare caepit,

pit, fractis ſenſim viribus per calorem aeſtivum utcunque invaleſcentem, atque exacto interea menſe, pauci ſcorbuto, aut febre intermittente (§. 89.) noviſſime affecti viſebantur, ſed omnes plerique, qui vel in noſocomio, vel extra noſocomium decumbebant, reliquiae fuerunt illorum; ex quibus alii convaluerunt, alii ſeneſcente aetate, vel redeunte vere, interierunt, quales fuerunt duo illi, quorum cadavera ſupra deſcripſi (§. 32. et no. 1.). Unus tamen primum febri intermittente, dein ſcorbuto, aliquoties inter ſe reciprocatis (§. 89. no. 1.) correptus manſit poſtremo languidus, macilentus ac inſuper contractione tendinum genu ſiniſtri detentus usque ad praeteritam proxime aeſtatem, qua adulta convaluit et dimiſſus eſt, quamvis redeunte interea temporis vere vexatus fuerit ſcorbuto completo.

§. 91.

Reliquum tempus a fine ſcilicet conſtitutionis (§. 90. no. 6.); quae per

omnes

omnes vicinas regiones graſſata eſt, usque ad initium ſequentis veris morbos uniformes late ſerpentes non extulit, praeter febres quasdam ſporadicas mitiores, quae emicarent tempeſtate frigida et humida, qualis reliqua aeſtate et autumno obtinuit. Ex eo vero, nempe initio veris (quod frigidum et humidum fuit) anni 1732. emerſit febris quaedam verna ſatis frequens, eaque frequentior pleuritis ſpuria et ſcorbutus.

§. 92.

Febris illa verna anni 1732. (§.91.) fuit omnium vernarum, quas interea temporis vidi, mitiſſima. Calor enim ejus comes erat modicus cum levi capitis dolore et aliqua gravedine. Lingua paulum ſicca et leviter albicans ex tenui muco, tuſſis mediocris non multo cum ſputo. Ad haec pulſus non multum ſuperabat naturalem aegrorum, ſeu celeritate, ſeu plenitudine, niſi circa veſperam ex veſpertino caloris augmento, qui poſt mediam noctem remittebat,

 ſuc-

ſuccedente modico ſudore, quo tota febris intra quintum et ſeptimum diem placide finiebatur. Medicamenta pauca ex uſitatis (§. 81. no. 2.) praeſcripſi, omiſſa phlebotomia. Quippe quam pauciſſimis, vix forte denis, qui gravius aliquanto febriebant, adminiſtrari curavi.

§. 93.

Pleuritis ſpuria (§. 91.) aucta quidem fuit et frequens, ſed innoxia, unicaque ſanguinis miſſione parca et paucis medicaminibus ſolvebatur, totidem ferme dies emenſa, quot ſocia ipſi febris (§. 92.). Sanguis e vena miſſus tam pleuriticorum, quum ſimpliciter febrientium (§. cit.), ut plurimum rubicundus et ſatis fluidus cruſta inflammatoria vacabat. Quae, ſi quando appareret, tenuis erat et mollis. Quod reliquum eſt, ſedes ipſius pleuritidis perinde variavit in variis aegris, atque illa ſuperioris (§. 88.).

§. 94.

§. 94.

Scorbutus (§.91.) multitudine ſymptomatum congruens ſuperiori (§. 90.), frequentia aegrorum, quos invaſit, numeroſior illo fuit. Artuum praeterea tumor etſi perinde ingens ac is ſuperioris comes, tamen non ita durus. Furunculi quoque frequentiores, et vibicum extuberantes plures ac magis proclives ad emollitionem, quam anno ſuperiore (§. cit. et. no. 1.). Ad haec ſcabies grandibus puſtulis ac ferme confluentibus luxurians, et longe frequentior purpura, cum ſuperiore anno haec eſſet crebrior illa (§. cit.). Porro ut omnes tunc ex febri ardente convaleſcentes, aggrediebatur purpura (§. 86. no. 3. et §. ſequent. usque ad 90. no. 3.), ita nunc ſcabies, ſaepe ſcorbuto promiſcua. Neque tamen purpuram deſideraſſes, quae ſaepe cum ſcabie effloruit: poſtremo exitus hujus ſcorbuti raro funeſtus exſtitit, etſi curſus varius ſimiliter illi ſuperioris (§. 90. no. 4.), qui iisdem medicamentis cedebat, quae ſupra recenſui (§. 90. no. 5.).

§. 95.

§. 95.

Omnes illi morbi (§. 91. -- 94.) una cum vere deſierunt, primum pleuritis, deinde febris illius ſocia, poſtremo ſcorbutus, ſequente aeſtate calida et ſicca per menſem circiter unum. Quae poſteā crebra pluvia et frigore interpolata eſt. Cum primum aeſtas degeneravit, incolarum Cronſtadii et Petropolis, atque etiam vicinarum regionum, plerique correpti ſunt contumaci gravedine cum moleſtiſſimo faucium ardore et tuſſi. Imo quotquot in medio mari navigabant, omnes ſimiliter affecti ſunt. Quorum omnium non pauci febriebant, ſimul laſſitudinem quandam per univerſum corpus ſentientes, ex quibus nonnulli obierunt, plures, ut fama ferebat, Petropoli, paucisſimi hic loci. Viguit vero gravedo illa, multis, ut dictum eſt, febrilis, gravis, viginti circiter diebus ac menſe exacto evanuit. Reliqua aeſtate et autumno, frigidis ſane et humidis, nulla exſtitit febris uniformis multos inceſſens, ſed variae ſporadicae mitiores.

§. 96.

§. 96.

Inter autumnales febres (§. 95.) erat quaedam frequentior quaſique communis, non abſimilis aeſtivae (§. cit.), praeterquam quod gravedo non tanta eam comitabatur, et quandoque degenerabat in clandeſtinam intermittentem. Hoc eſt in nonnullis febris illa incipiebat tanquam catarrhalis mitis cum modico calore, gravedine, tuſſi, pulſu pauxillum aucto et aliqua laſſitudine, qualis in pluribus viſebatur, ac poſt aliquot dies, (quorum numerus intra ſeptenarium et decimum tertium vel quartum continebatur), remittebat. Nihilominus aegri, pene apyreti, neque appetitum neque vires interea recuperabant; et per intervalla, modo definita, mode indefinita, ſentiebant aliquam anxietatem cum horrore vel ſenſu quodam veluti pandiculationis, ſuccedente illis levi calore, qui in multis ita affectis ſolus cum anxietate per vices redibat nocturno ut plurimum tempore, quae omnia excipiebat ſudor ſub ſomno

in-

inquieto, manente laſſitudine et faſtidio cibi. Ex iſtius modi febri poſſet aliquis varias intermittentis ſpecies cudere, nempe quotidianam, tertianam, quartanam, item quotidianam continuam atque id genus alias. Quas ego ſummatim dixerim acutas de natura intermittentium participantes, quales hoc anno plures vidi, ut deinceps dicam.

§. 97.

Poſt autumnales illas febres (§. 96.) nonniſi leves et rarae de familia catarrhalium exſtiterunt per hyemem, quae matura, ſatis ſicca et frigida fuit. At menſis martius ſeu initium veris hujus anni, (quod frigidum et ſiccum), geminam perperit febrim latius vagatam; unam comitabatur mediocris horror, quem mox excipiebat calor ſatis magnus atque continuus, pauxillum matutinis horis usque ad meridianas remittens, modica gravedo, notabilis capitis dolor vertiginoſus, in fronte veluti urens, debilitas ejusdem et laſſitudo totius corporis

ris. Tuſſis mediocris; pulſus calori reſpondens, id eſt, ſatis magnus, et in nonnullis inde a principio purpura.

§. 98.

Altera febrium vernarum hujus anni (§. 97.) incipiebat ingenti ac perpetuo ferme horrore totius corporis atque dolore cuticulari ſatis gravi, ſequente mox gravedine moleſtiſſima, tuſſi frequenti et contumaci, dolore capitis gravi in fronte veluti urente; quin artus quoque quaſi contuſi erratico dolore vexabantur, calore plerisque aegrorum circa cutim veluti cum horrore confuſo, qui noctu praevalebat horrori, ac poſt mediam noctem profuſiſſimis ſudoribus ſolvebatur, manente horrore. Qui in multis, fugata jam per ſudores febri, intra ſeptimum et duodecimum diem, aut aliquando tardius, perſiſtebat, inprimis vero gravedo et cephalalgia, quae in quibusdam vix exacto menſe evanuerunt, quamvis et febris et horror maximam partem deſiiſſent. Ex quibus ego aegre

ac

ac vix poſt duos integros menſes liberatus ſum, qui hac febri magnopere conflictatus, fovente reliquias illius tumore brachii crudo. Quo factum eſt, ut curſum iſtarum febrium (§. 97. 98.) obſervare non potuerim.

§. 99.

Poſtquam convalui caepique reliquo verno tempore inviſere de more noſocomium, tres obſervavi febres, duas illas priores (§. 97. 98.), ac tertiam acutam inflammatoriam. Priores pauxillum evaſerunt acutiores, ac ſaepe numero aemulatae inde a principio quotidianam, tam intermittentem, quam continuam; praeterea ſubinde circa declinationem degenerarunt in clandeſtinas intermittentes, quales ſupra deſcripſi (§. 96.). Inflammatoria pleriſque a ſe correptis inflammavit pulmones, aliis meninges, paucos citra inflammationem ſivit. Aeſtus in pneumonicis erat major, pulſus minor, deliria mitiora quam in phreneticis, quorum deliria veluti furioſa et pulſus magnus ac durus. Caetera hujus febris ſymptomata

erant

erant rubedo faciei et oculorum paulum tumentium, contumax et vertiginoſa cephalalgia in fronte veluti urens. Tuſſis vehemens cum mediocri ſcreatu. Extremum linguae ex rubro nigricans, radix muco oblita, alias tota arida, et ardor faucium plus minus intenſus. Febris ſimplex, item ipſa phrenitis, citius ſolvebatur, quam peripneumonia; quae in multis decimum ſextum diem ſupergreſſa. Ex qua plures moriebantur, cum ex phrenitide nonniſi unus atque alter interierit. Phlebotomiam in plerisque inſtitui pro magnitudine pulſus et aeſtus, in paucis omiſi. Sanguis e vena principio miſſus plerumque exhibuit cruſtam inflammatoriam modicae craſſitudinis, quarto aut quinto die detractus cruſta carebat. Caeterum purpura paucis ſub hac febri effloruit, bene vero omnibus ſudor manabat circa matutinas horas, remittente pauxillum calore.

§. 100.

Scorbutus vernus hujus anni remiſſior quidem fuit, quam ille duum ſuperio-

riorum (§. 90. 94.), ſed non deſiit per totam aeſtatem et autumnum, quae anni tempora, nimium uda et gradu caloris ac frigoris inter ſe propemodum paria, ſicuti febres acutas vernis non abſimiles, aluerunt, ita ſcorbutum vernum, qui demum adulto autumno remiſit. Interim etſi uno ferme tenore continuavit per id tempus, tamen rarius ſe immiſcuit morbis lateralibus, ſeu acutis, ſeu chronicis, quod conjicio ex purpura et ſcabie, aſſiduis ſcorbuti verni pedisſequis (§. citat.), quae non ita crebrae per idem tempus emicuerunt in morbis illis, atque ſuperioribus annis. Ubi vero et hoc notandum, quod ſicuti totum agmen ſymptomatum ſcorbuticorum mitius comparate fuit hoc vere, quam duobus prioribus (§. citat.), ita ſcabies et purpura remiſſior ſeu non ita denſa et confluens exſtitit.

§. 101.

Febres aeſtivae (§. 100.) ſimiles erant vernis ſeu potius ipſae vernae conti-

tinuatae (§. 99.), ſed rariores et remiſſiores. Praeter eas vero alia adhuc dimidiata aeſtate inter nautas exſtitit ſatis frequens, conſtanter comitata eryſipilate faciei et parotidibus difficillimae ſeu diſcuſſionis ſeu ſuppurationis.

§. 102.

Autumnales febres (§. 100.) geminae ſunt, altera catarrhalis de natura intermittentium, potiſſimum vero quotidianae continuae participans, altera inflammatoria. Utraque autem videtur eſſe aeſtiva atque adeo verna continuata (§. 99.), praeterquam quod ſeneſcente aeſtate evaſit acutior et frequentior, atque ad hoc usque tempus viget, praeter morem praeteritarum hyemum. Quarum initio febres autumnales conquieverunt (§. 83. 97.). At illae maturae cum nive ſicca tum frigore (§. cit.), haec tarda ac nondum hyemis nomen emerita. Quatenus nunc demum incipit terra congelaſcere, modica nive canens. Enim vero etſi quartum adhuc

diem (quo haec ſcribo) decurrat december, ac proinde juxta receptam diviſionem temporum anni extremum ſit autumni, tamen ordinaria in Ruſſia hyems maturius incipit tardiusque finitur, ita ut ſex minimum menſes comprehendat, ſi gelu ſpectaveris. Caeterum ex inflammatoria illa febri compluribus inflammatur hepar, paucis lien, multis pulmones et nonnullis pleura, item meninges. Quin et meſenterium a viginti circiter diebus inflammari caepit, poſtquam ſcilicet febris iſta, maxime vero ſocia, jam memorata, repente ex aſperata in multos Cronſtadii incolas graſſata eſt, cum ante hac remiſſior et rarior ſolos ferme gregarios claſſicos inceſſeret, uti quoque inflammatoria. Sanguis ex aegris, hac febri correptis, detractus utplurimum praeditus eſt cruſta inflammatoria ſatis craſſa. Qua alias caret, ſi paulo tardius vena ſecetur, cum is, qui ſubtrahitur ex illis aegris, qui catarrhali, aut ſi mavis, intermittente continua detinentur, ruber et floridus raro cruſtam exhibeat. Caeterum utra-

que

que paulatim deferveſcit, et, ſi ex praeteritis futura conjicere licet, brevi evanitura, modo hyems de more coeli ruſſici invaleſcat.

§. 103.

Hactenus de conſtitutionibus quadriennii, quo hic dego, breviter memoravi (§. 81. -- 102.). Reſtat jam, ut lectorem moneam de iis, quae in deſcriptione illarum deſiderare poſſint. Nempe ipſe agnoſco me nonnullas conditiones, ſcitu haud inutiles, praetermiſiſſe. Quod ſane non incuria factum eſt, ſed potius multitudine aegrorum, quae vetat exactam ſingulorum obſervationem atque deſcriptionem, juxta commune illud, *pluribus intento minor eſt ad ſingula virtus.* Numerum autem aegrorum, qui in noſocomio decumbebant ſub conſtitutionibus vernis (§. 81. 84.-90. 92.94.), raro minor fuit trecentenario, ſaepe ad quadringentarium acceſſit. Sic et ordinarius circa ducentenarium conſiſtit. Accedunt grandi huic

 aegro-

aegrorum, in noſocomio decumbentium, numero alii extra noſocomium aegri, domi quisque decumbentes, et quae ſunt alia cum his connexa. Quae ſane omnia ut multum conferunt generalibus obſervationibus, ita ſpecialiſſimis obſtant, conſumendo tempus, distrahendo attentionem, et laſſando ingenium et corpus.

Caput VII.

De febribus acutis obſervationes variae.

§. 104.

Obſervationes, quas hoc capite narraturus ſum, primum inſerui praecedenti, cum id penultimo conſcribam. Deinde vero animadvertenti nexum ejus, ſeu conſtitutionum eo comprehenſarum, quodammodo interrumpi et obſcurari per obſervationes dictas, ſeorſim referre placuit, annuente ſimul opinione,

ne, quod poſſint nonnullae ex illis regularum vicem ſubire; utpote quas non ex ſolis conſtitutionibus recenſitis, ſed ex ſingulis collegi morbis acutis, ſeu epidemicis, ſeu ſporadicis, quos interea temporis tam in noſocomio, quam extra illud tractavi. Quo circa ſimpliciter illas narrabo, ſicut in individuis perſpexi, atque ſi opus fuerit, illuſtrabo vel conſtitutionibus, vel aliis praecognitis.

§. 105.

In qualibet febri acuta cum pulſu magno et duro ſanguis e vena principio miſſus gelatinoſam quandam prae ſe fert cruſtam, inflammatoriam cognominatam, tanto craſſiorem et tenaciorem, quanto pulſus plenior duriorque et aeſtus febrilis major fuerit. Adeo vero ſub his conditionibus cruſta illa enormis eſt, ut craſſitudine corium porcinum, tenacitate gluten ſolutum et ſpiſſatum referat. Atque talis exiſtit primis invaſionis diebus. Poſt tertium vero, item quartum et quintum, prout febris minus vel ma-

gis ardens, (niſi ea fuerit intermittens aut ſoboles arthritidis et rheumatismi, de quibus infra), paulatim teneraſcit et attenuatur, obſcuro rubore per albicantem pallorem (qualis eſt proprius cruſtae color), apparente, ac denique cum febris conſiſtit, evaneſcit, ſeu ſanguis tunc miſſus vel tenerrimam ac tenuiſſimam, vel, quod ſolenne eſt, nullam exhibet cruſtam.

§. 106.

Iſtius modi cruſtam (§. 105.) obſervavi et ſaepe obſervo in pleuritide vera, peripneumonia, phrenitide et febri catharrhali acuta, ſeu ſporadicis, ſeu epidemicis. Quae in ſingulis easdem ſub decurſu illarum ſubit mutationes, quas memoravi (§. citat.). Praeterea quando febris ardentiſſima, alias adhuc exhibet. Nempe principio per totam ſui ſubſtantiam albicat, ut quaelibet alia ordinaria, nullo puncto rubente interſtincta, niſi ima in parte, qua cum cruore cohaeret; poſt aliquot vero dies (tres aut quatuor),

punctis

punctis rubellis hinc inde variatur, diminuta tenacitate et craſſitudine; deinde autem uno vel altero adhuc interjecto tota fit rubra, mollis et tenera, pallore hinc inde internitente; ac denique conſiſtente febri evaneſcit. Ita variatam cruſtam ſaepe vidi in conſtitutione verna anni 1730. (§. 81. no. 1,); item in ea 1731. Et quidem in primo (§. 84. no. 2.) ſecundo (§. 35.) et quarto (§. 87. no. 2.) ejus curriculo. Imo in quarto curriculo etiam cruſta ſanguinis quorundam febri intermittente laborantium talem retulit variationem. Quod non mirum, quia ſub eo peroxyſmi fuerunt vehementiſſimi quemadmodum ſupra dictum eſt (§. 89. no. 2. 4.). Praeterea mutationes illas cruſtae aliquoties conſpexi in ardentiſſimis febribus ſporadicis, tam pleuritide et peripneumonia, quam catarrhali acuta atque id genus aliis.

§. 107.

Non tantum vero memoratae illae febres (§. 106.) ſecum ferunt cruſtam

inflammatoriam, ſed etiam hepatitis ſplenitis atque, ut ſummatim dicam, omnes inflammatoriae, quas comitetur aeſtus magnus et pulſus plenus ac durus. Vir quidam plethoricus, robuſtus et lautiore victu utens ſubinde incidebat in febrim acutam cum pulſu magno ac duro atque pungente hypochondrii dextri dolore, porrecto ut plurimum usque ad coſtas veras, quae detracto largiore manu ſanguine remittebat, ac interjectis octo aut decem diebus deſinebat, manente in facie et oculis flavedine, quae ſecundo vel tertio ab invaſione die oriebatur; item perſeverante diu dolore hypochondrii gravativo, quandoque pungente, qui tarde cedebat mixturis er decoctis aperientibus, interpoſito per intervalla laxante. Quomodo aliquoties curatus eſt. Tandem vero repente eidem egregio viro intumuerunt abdomen et pedes, quibus inde ab aliquot annis inhaeſit tumor rubens et durus, per intervalla moleſtus, ſimilis quodammodo eryſipelati frigefacto ac non diſcuſſo, quale ſubinde evadit ex frigida nimis medicatione. Caete-

te-

terum tumori poſt menſem adjuncta eſt febris acuta cum pulſu magno et duro, atque febri paulo poſt icterus flavus ſpisſisſimus cum gravativo dolore hypochondrii dextri, ex quibus interiit lethargicus. Sanguis é vena principio miſſus ſemper exhibuit cruſtam inflammatoriam tenacem et craſſam, convenientem magnitudini pulſus et inflammationi hepatis. Et enim febrim ſeu priorem ſeu poſtremam ex inflammatione hepatis emerſiſſe dubium nullum eſt, cui anſam praebuerit per plethoram et lautiorem victum vel obſtructio vel alia quaedam labes hepatis praevia. Sic etiam in hepatitide et ſplenitide conſtitutionis autumnalis hujus anni ſaepe viſitur cruſta ſanguinis inflammatoria ſatis tenax et craſſa, quando ſcilicet pulſus eſt magnus et durus. (§. 101.)

§. 108.

Craſſisſimam quoque cruſtam ſanguinis inflammatoriam conſpicatus ſum in ſanguine aegrorum ex morbo quodam, ſobole arthritidis et rheumatismi cor-

correptorum, quum pulſus eſt plenus et durus. Notae iſtius modi febris ſunt dolor interlancinans per univerſum habitum corporis, maxime autem in artubus, quorum articuli ſimul affectione quadam paralytica corripiuntur. Quae quandoque tranſit ab uno in alium. Extrema artuum ſeu manuum et pedum dolent, tument ac paene aſtuant, prae intolerabili ardore, quem aegri ibidem ſentiunt, etſi calor in reliquo corpore non ſit usque adeo magnus. Porro facies tumidula et oculi rubent. Lingua ſicca atque aliquando muco albicante operta. Tuſſis et ſitis modica. Sudor mediocris poſt ſomnum inquietum, et alvus ſubadſtricta, ut in plerisque febribus. Durat hic morbus duas, tres, quatuor, imo quandoque plures, hebdomades. Sanguis e vena miſſus, ſi pulſus eſt magnus et durus, admodum craſſam et glutinoſam continet cruſtam inflammatoriam, nullo ſero praeſente, quae longe tardius evaneſcit, quam in ulla alia febri acuta inflammatoria (§. 105. - 107.), quantumvis longa. Nam aliquoties obſervavi ſanguinem

poſt

poſt duas hebdomades trina vel quaterna venae ſectione detractum cruſtam exhibuiſſe, quamquam longe tenuiorem in comparatione priorum, quarum quaeque craſſior ac tenacior erat ſequente. Tales aegros quotannis duos vel tres in noſocomio medicatus ſum, verno vel autumnali tempore. Quorum aliis pulſus erat longe plenus ac durus, aliis mediocris. Sanguis illorum è vena miſſus ſemper exhibuit cruſtam, qualem deſcripſi; horum utplurimum cruſta vacavit, aut ſi quam exhibuerit, tenuis ea fuit, citoque evanuit. Caeterum quot quot hac febri correpti ſunt, omnes ſerius ocyus convaluerunt, praeter unicum, cui manſit brachium dextrum immobile ex paralytica humeri affectione, conferente plurimum ad ipſam conſtitutione verna anni 1731, ſub qua is aegrotabat, quaeque non tantum ei, verum etiam aliis, articulari morbo pridem obnoxiis, debilitatem ligamentorum attulit per vernum illius acceſſum. Ut quidam capitaneus ineunte vere ex alio morbo in articularem, ſibi pridem aſſuetum, relapſus, ac paulo poſt

li-

liberatus, vix acta aeſtate recuperaverit membrorum uſum, cum neque ante hac, neque poſt hac tale quiddam perpeſſus ſit, quamvis quot annis bis aut ter corripiatur. Sic etiam foemina quaedam debilioris conſtitutionis, trium infantum mater, ex febri catarrahali, praenuncia conſtitutionis illius (§. 84.), quam bina vena ſectione et aliis medicaminibus ſuperavit, ad hoc usque tempus ſentit debilitatem crurum.

§. 109.

Quemadmodum vero cruſta ſanguinis inflammatoria decurrentibus febribus teneraſcit et attenuatur (§. 105.--108.): Ita pulſus magnus et durus paulatim remittit, ac, evaneſcente illa, reſidet in ordinariam febrilem, aeſtui et conſtitutioni cujusque aegri accommodatum. Ex quo conjicio abſentiam cruſtae. Neque enim venam ſeco, usque dum cruſta evaneſcat ſeu ſanguis detractus cruſta careat. Quippe quae, ſi tenax et craſſa fuerit, vix incipiente ſtatu diſſolvitur (§. citat.); ubi

ubi venae ſectionem non facile committo, ſi principio inſtituta; niſi pulſus permaneat magnus et durus, qui cum gradu caloris norma mihi eſt venaeſectionis; excepto ſcilicet atroci pleuriticorum dolore, cui volens nolens venaeſectionem objicio, ſive pulſus fuerit magnus et durus, qualis ſaepe exiſtit in pleuritide vera, ſive parvus et pauxillum durus, qualis plerumque obſervatur in pleuritide ſpuria.

§. 110.

Hactenus de febribus cum pulſu magno et duro, quo cum ſemper jungitur cruſta ſanguinis principio é vena miſſi inflammatoria (§. 105.-109.), ex qua etiam ipſae inflammatoriae cognominantur, licit ſubinde praeter mucum naribus et faucibus impactum, nulla praeſto ſit alia inflammatio. Imo quandoque neque iſta conditio ſubeſt, et tamen ſanguis e vena miſſus craſſam continet cruſtam. Illae vero febres, quae pulſum mediocrem comitem habent, modo

ex-

exhibent cruſtam inflammatoriam, modo carent, ſive fuerint inflammatoriae ſive ſimplices. Saepe enim in pleuritide, peripneumonia et aliis febribus inflammatoriis ſanguis é vena miſſus, nullam continet cruſtam, cum ex aliis ſignis conſtet inflammationem ſubeſſe. Sic etiam pleuritis ſpuria et acuta arthritis vaga cum pulſu mediocri aliquando tenuem, aliquando nullam exhibet cruſtam inflammatoriam (§. 88. no. 1. §. 93. 108.)

§. 111.

Qualesnam mutationes ſubeat cruſta ſanguinis inflammatoria in decurſu febrium, praecedenti paragrapho memoratarum, in iisdem aegris obſervare non licuit, quoniam non opus eſt iterata ſanguinis miſſione, ex qua colligi deberent; in diverſis vero aegris diverſo dierum numero ita ſe habet. Inter primum et ſecundum vel tertium ab invaſione diem cruſta haeret in ſuperficie cruoris notabilis tenacitatis et modicae craſſitudinis; inter

ter-

tertium et quintum aut tenerrima et fluctuans, aut plane deeſt. Proinde nullum eſt dubium quin mutationes iſtas in diverſis aegris diverſo dierum numero obſervatas, ordinatim in uno quoque ſubeat, hoc eſt, ut paulatim teneraſcat attenuetur et evaneſcat (§. 105.), quando ſcilicet materia illius praeſto eſt in maſſa ſanguinea.

§. 112.

Saepe quoque gelatinoſam cruſtam ſed ut plurimum tenuem, brumali tempore obſervavi in ſanguine tam ſanorum, non ita temperate viventium, quam aegrorum chronico morbo detentorum, quale quiddam aeſtate, niſi frigida fuerit, per raro mihi contigit cernere. Sic etiam aeſtivo tempore raro viſitur cruſta in ſanguine acute febrientium, ſi id calidum et aequabile fuerit.

§. 113.

Praeterea notandum praeſente in ſanguine acute febrientium gelatinoſa

cruſta raro ſecedere ab illo ſerum, niſi cruſta fuerit tenuis et febris mitis. Quanto magis vero cruſta exuberat, tanto denſius coaguſatur pars rubicunda, quae, cruſta ſoluta, rubicundior minusque denſa apparet, at ne tum quidem ſerum viſitur: generatim enim tenendum ſerum a ſanguine per phebotomiam ſubtracto non ſecedere, febri pluſculum aeſtuante, ſive cruſta adſit ſive abſit. In ſanguine vero cruſtato vel ſanorum, erratis diaetae obnoxiorum, vel aegrorum, chronico-morbo laborantium (§. 112.), aliquando nullum vel paucum, aliquando copioſum viſitur, cujus colorem aſſumere ſolet cruſta, ſi nempe illud flaveſcens vel viridans, (quale ſaepe vidi), etiam haec flaveſcit vel viridat.

§. 114.

Cum cruſta ſanguinis, de qua hactenus memoravi (§. 105.--113.), exacte referat gelatinam tenaciorem, excoctam ex partibus animalium membranoſo-tendinoſis, nullum eſt dubium, quin ea

ea conſtet ex gelatinoſa ſanguinis portione, mixta cum aliqua ſeroſa (§. 35. no. 13. 1. §. 51.). Proinde conſequens eſt, ut in febribus acutis, in quibus ſanguis é vena miſſus obducitur iſtiusmodi cruſta, lympha ſeu pars ſanguinis gelatinoſa ſero naturaliter ſoluta (§. 66. 67.), minus coagulata, non ſit ſatis mixta cum parte rubicunda, ex qua, ceu comparate leviore, in ſuperficie cruoris collecta, oritur cruſta illa, quae ſoluta ſenſim per calorem et motum febrilem (§. 41. 37. no. 1.) lympha, attenuatur, liqueſcit ac jam liquata evaneſcit, id eſt, miſcetur cum parte rubicunda, interea attrita et diſſoluta (§. 35. no. 1. §. 41. 37. no. 1.). Quod vero cruſta in febribus nimium fervidis primum varietur punctis rubellis, deinde tota rubeſcat, amiſſo albicante pallore (§. 106.), id provenit ex parte rubicunda potenter attrita et disſoluta, arctiusque miſta cum materia cruſtae, (quae nondum ſit penitus ſoluta), et qua gravitate ſpecifica ipſi quodammodo aequata. Defectus autem ſeri (§. 113.) pendet partim ex arctiori

ipſius mixtione cum parte lymphatica et rubicunda, impenſe attritis, partim ex longa diſſipatione. Quae ſane uno tempore fieri poſſunt ex immani ſanguinis aeſtu febrili et motu valde impetuoſo; quorum uterque potenter atterit et disſolvit diverſas ſanguinis particulas, ac disſolutas rurſus invicem miſcet, difflatis ubertim ſeroſis (§. 37. no. 1. §. 39. 41.). Quo circa phaenomena iſta cruſtae in febribus remiſſioribus non apparent, quod neque pars rubicunda eo usque atteritur, neque ſerum ita difflatur, quamvis hoc, ut praecedenti paragrapho dixi, raro ſecedat ex ſanguine febrientium ſive ex parte rubicunda.

§. 115.

Igitur ſi quando cruſta ſanguinis gelatinoſa ſive infflammatoria non apparet in ſanguine acute febrientium cum pulſu principio magno ac duro et inflammatione viſcerum, illud indicat eam evanuisſe, et febrim eſſe in ſtatu (§. 105. -- 114.). Quo tempore phlebotomia non opus eſt, ni-

niſi aliae rationes eam poſtulent. Monet quidem ex ore celeberrimi Lanciſii ſolertiſſimus Baglivius in accurata de pleuritide commentatione cruſtam inflammatoriam retineri in pulmonibus, qnando illa non apparet in ſanguine pneumonicorum, ideoque abſtinendum eſſe a venaeſectione, ſed rationes non affert, ex quibus vel conjici quadantenus poſſit retentio cruſtae in pulmonibus: unde eo videtur redire Lanciſii monitum, quo noſtra jam propoſita.

§. 116.

Porro ex pnlſu magno ac duro cruſtaqe ſanguinis inflmmatoria perinde in polypoſis praeſente (§. 79. 80.), atque in pleuritide vera et aliis febribus non inflammatoriis (§. 105. -- 110. 112.), conſequens eſt, ut iſtiusmodi conditiones, generatim ſpectatae, indicent potius humorem ſeroſo-lymphaticum, plus minus ſpiſſatum (§. 114.), impetuoſius ex corde et arteriis pelli per principia lymphaticorum et fibras partium membra

noſarum ob rationes ſupra commemoratas (§. 35. no. 6. 37. no. 80.), quam inflammationem illarum, cui opus adhuc eſt dolore et febri; quorum haec oritur ex calore et motu ſanguinis ſimul auctis, altero per alterum (§. 37. no. 1.), intercedente ſcilicet cauſa quadam; ille, nempe dolor, provenit vel a diſtenſione ex copia humoris ſtagnantis (§. 35. no. 6. 7. 9. 11. §. 52. no. 2.), vel ab acrimonia ejus irritante fibras, ex qua vel ſpaſtice contractae vel fruſtra nitentes dolent (§. 35. no. 9. 11.), vel denique ſimul ex omnibus conditionibus memoratis.

§. 117.

Qod ſi humor ſubſiſtens in pleuritide et peripneumonia (§. 116.) fuerit ſeroſo-ſanguineus, bilioſus, ſubtiliter putreſcens, fibrae aliunde tantillum laxae, univerſa ſanguinis maſſa vel parcior, quam fert conditio ſolidorum, vel quodammodo congruens; porro lympha non coagulata (§. 110.), ac denique calor et motus ſanguinis febrilis mediocris naſcuntur

tur

tur pleuritides et peripneumoniae ſubleſtae, quae interimunt aegrum, levibus alioqui notis ſuis proditis, quales ſuperiore et hoc anno multos vidi. Unde pleuriticus ex ſero acerrimo bilioſo, in pleura vel pulmonibus ſtagnante, cito interimitur, juxta Baglivium, modico dolore partis affectae aliisque levedenſibus duntaxat notis praeſentibus. Subeſt tamen in hujusmodi caſibus portio rubicunda, cum ſeroſa et bilioſa mixta, ſubtiliter putreſcens, ut principio dixi: nam quanto ſerum acrius, tanto dolor cum ardore acerbior ante ſiderationem. Exemplo ſint eryſipelata partium exteriorum, quae quo magis acria et mortifera, eo acerbiorem ſecum ferunt dolorem cum ardore, antequam pars affecta ſideretur, cum partes illae ſint longe robuſtiores, quam interiores, atque adeo minus ſentiant illae, quam iſtae (§. 36. no. 1.). Accedit huc acutiſſima pleuritis ſpuria, cujus prima momenta quandoque excipit ſubita mors, qualis fuit verna anni 1731. (§. 88. et no. 1.). Iſtiusmodi vero pleuritis dependere videtur ex ſero

 acri

acri bilioſo ſive ſalino ſulphureo, vel in membranis muſculorum intercoſtalium, vel in pleura, vel in mediaſtino, vel in diaphragmate, vel in confini quadam pectoris et abdominis membranoſa parte ſtagnante ac ſpaſmum mortiferum ipſi et vicinis per conſenſum (§. 44.) faceſſente. Tale quiddam ſaepe accidit ex inflammatione hepatis et lienis, ac inprimis ex ea pulmonum, quae crebro mentitur pleuritidem. Quae, ut alia tranſeam, abunde evincunt tubercula pulmonum pleuritidis aemula, de quibus ſequenti capite.

§. 118.

Quandoque ſuppreſſo pleuriticis ſputo circa ſtatum geminos ſuris applico phoenigmos ex monito Baglivii, quibus feliciter ſputum poſtera die ſuſcitatur, cedente oppreſſione pectoris et anxia ſpirandi difficultate, illius pediſequa; atque adeo pleuritide de more procedente ac per ſputum continuatum paulatim deſinente. Saluberrimae iſtius obſer

ſeruationis veritatem aliquoties expertus et admiratus ſum ; ut pote quae explorata et manifeſta, modo ſputum ne ſupprimatur ab inflammatione, ruente per ſe in pejus. Laborat quidam peripneumonia, indice illius, dolore totius lateris ſiniſtri ſublancinante, calore febrili modico et pulſu mediocri, quibus et vires et facies cum lingua reſpondebant. Atque adeo cuncta per ſe levia et ſedata, certam propemodum ſalutis ſpem pollicebantur, niſi eventus feſelliſſet. Nam circa ſeptimum forte ab invaſione diem, ſputum, (quod antea coctum, ut decet, libere excreabatur per tuſſim mediocrem), repente ſuppreſſum eſt citra manifeſtam cauſam, oppreſſa inde reſpiratione excuſſoque affatim ſudore per faciem; quibus viſis etſi funeſtum expectabam eventum ob largum ſudorem et nimiam anxietatem, quales praecedere ſolent mortem ex ſphacelo ſerpente, dum adhuc vires utcunque conſtant; attamen ſtatim appoſui ſuris duos phoenigmos aliaque prioribus ſubſtitui medicamina, ad excitandum ſputum idonea. Nihilominus aeger

 diem

diem tantum et noctem ſupervixit, ſputo non elevato, quod non mirum eſt. Siquidem aperto pectore deprehenſus eſt locus pulmonum ſiniſter totus quantus ſuppuratus, effuſa parte puris in cavitatem pectoris. Alii ex febri catarrhali acutiore peripneumonico, ac mox phthiſico, dum adhuc illa vigebat, purulentus mucus primum libere, ac plenis faucibus excreabatur (§. 6. no. 1.), deinde paulatim ſpisſatus octavo forte die penitus cohibebatur, inſtante faucibus morte. Quam prolatarunt phoenigmi ſuris appoſiti, ſuſcitato paulo poſt muco purulento, minus tenaci, quam antea erat. Qui tamen iterum ſpiſſeſcebat, donec ſeptimo die, hoc eſt, decimo quinto a prima febris invaſione, conſumtus aeger partim febri, partim copia muci purulenti interea exſputi, partim pure ubertim ex ſuris manante (quae a phoenigmis ulceratae, altius ſuppurabantur), ſupremum obiet diem. Aliquot adhuc vidi ſimiliter alterutri affectos et mortuos, quorum aliis ſputum per phoenigmos, ſuris applicatos, excitabatur, aliis excitari non poterat.

§. 119.

§. 119.

Hujusmodi phthiſici (§. 118.) fiunt vel ex muco pulmonibus in anteceſſum impacto, vel ex tuberculis immaturis, per febrim primariam ſuccenſis et maturatis cum aliqua pulmonum ulceratione, unde mucus purulentus, cita tabes et mors. De quibus nemo dubitabit, qui conſideret morbidum pulmonum ſtatum, et perpetuam ferme cum pleura concretionem (§. 13. 12. no. 1.). Atque haec et alia, de quibus ſupra (§. 12. --15. 73.), in cauſa ſunt, qua propter multi recidant ex febribus acutis in hecticam, praeſertim vero illi, quibus lingua, ſub decurſu febrium purpuraſcit. Iſtius modi febris hectica praenuncia ſolet eſſe tabis ſcorbuticae (§. 1. no. 2.) quae provenire videtur ex ſero, lxmpha et ſanguine, acribus, ac ſubtilibus, arcte inter ſe mixtis; quorum una pars immediata ſeu conſtituens ſit acidum per conſequens extricatum. Nam quanto ſubtilius diſſolvuntur portiones illae ſanguinis, tanto acida ejusdem (quae per ſe ſubtilisſima, teſte chimia, delite-

ſce-

ſcere videtur ſoboleoſa), liberius explicatur et omnes arctius commiſcentur cum ſero (§. 35. no. 1.). Portionem quidem ſanguinis acidam extricatam per conſequens, hoc eſt, per ſubtilem oleoſae ſive ſulphureae portionis reſolutionem, ex ſubtiliſato, et ex acuto per calorem alcali dependentem, praeſto eſſe in hac tabe, et fortaſſis eminere, teſtatur ſcorbutus calidus, quem illa aemulatur et ſaepe ſequitur. His itaque de cauſis, ſeu adſit ulceroſa cujusdam viſceris labes ſeu abſit, ſuboritur quaedam lente quaſi exurens hectica, qua et caro cum pinguedine conſumitur et lingua ac fauces ſuperficietenus corroſae purpuraſcunt, et caetera emergunt ſymptomata, huic tabi propria (§. 1. no. 2.). Igitur ſi exiſtat in corporibus ante febrim ardentem, iſtiusmodi humorum temperamentum, coorta undecunque illa, acuitur per calorem et motum febrilem (§. 37. no. 1.), atque memoratae hecticae alendae accommodatur, etſi febris primaria poſtmodo conquieſcat. Sicuti aliae quoque tabis ſpecies nautis ac-

accedunt, per febres ardentes, vel muco, pridem pulmonibus impacto, interea ſuccenſo et ſuppurato, ulceratis plus minus pulmonibus, vel labe cujusdam viſceris praevia quodammodo ulcerata, vel denique acrimonia quadam in ſanguine prognata, quae febri hecticae fovendae idonea ſit (per dicta et citata).

§. 120.

Inter febres vernas quotannis occurrit quaedam ſudatoria, ſed rara, in qua ſudor quolibet ferme temporis articulo profunditur ex univerſo corpore, maxime vero ex facie et fronte, quae abſterſae brevi ſuffunduntur denſiſſimis guttis, quaſi totidem rivulis perennibus. Caetera iſtius febris ſymptomata mitiora ſunt in comparatione ſudoris. Nam calor mediocris et aequabilis, pulſus celer ac itidem medius inter magnum et parvum. Facies, niſi ſudore perfunderetur, ſanae propemodum ſimilis, ut etiam oculi naturaliter prope nitentes. Lingua ſubrubra et paulo ſicca. Vires pro copia

ſu-

ſudoris potius conſtant, quam proſtratae; ſubeſt tamen aliqua anxietas. Univerſa ejus periodus intra novem et duodecim dies terminatur, quum ipſa emicat, quas quodammodo aemulatur. Hujusmodi febri corripiuntur juvenes, iique novitii, veteranis et natu majoribus, quod ſciam, ab ea immunibus. Tres aut quatuor ita affectos vidi anno 1730, verno ſcilicet tempore, compluresſequente proxime illum, dum cenſtitutione verna vigebat: ſuperiore et hoc unum atque alterum et quidem hoc anno etiam nuper unicum conſpicatus ſum. Omnibus autem mederi ſoleo potione ex aqua fl: Nymph: Chamomill: Aquileg: Roſar: rubr: Meliſſ: Eſſ: Scord: Pimpin: Extr: Tormentill: vel Chamomill: Spiritus Nit: dulc: Laud: liquid: aut Pil: de Cynogloſſ: et Syrup: quodam acidulo; item pulv: ex C. C. philoſoph: Conch: cort: Winter: vel rad: Tormentil: omiſſa phlebotomia. Qua methodo nullus aegrorum interit: Omnes autem convaleſcebant, cohibito paulatim ſudore biduo vel triduo poſt uſum medicaminum, quo cum et febris mi-

mitigata declinabat ac poſt aliquot dies plane evaneſcebat.

§ 121.

Quamlibet conſtitutionem febrilem comitari ſolent parotides, aliquot ex multis laceſſentes pro ingenio conſtitutionis atque temperamento aegrorum, quorum alterum alteri ac utrumque parotidibus opitulatur. Sic parotides in conſtitutione verna anni 1730. et ſequentis (§. 81.-- 88.) grandiores et fervidiores erant in comparatione illarum, quae febribus ſuperioris et hujus anni (§. 92. --102.) interceſſerunt. Quo fit ut aliae aliis aptiores ſint ſuppurationi. Generatim vero ſuppuratio parotidum aliorumque tumorum calentium accommodatur portioni ſanguinis rubicundae, cum reliqua illarum aquoſa lymphatica (§. 67.) mixtae. Quanto haec copioſior et fervidior, tanto illae facilius ſuppurationi oſcultant. Qno circa parotides, quae hoc anno frequentia aeſtiva eryſipelata capitis et faciei (§. 101.) comitatae, aeger-

aegerrime ſuppurabantur : qnaedam enim una cum febri ſolvebantur, quaedam, ſoluta febri, remanebant durae et frigidae ; aliae vero ſuppuratae primum fundebant pus, deinde humorem ſeroſo-lymphaticum ac brevi claudebantur, manente tumore duro difficillimae discuſſionis, qui in uno alteroque aegrorum rurſus incanduit et reſedit citra ſuppurationem; item diſcuſſus aliam, non procul a prima, occupavit ſedem. Quo nomine peſſimi erant omnes plerique tumores febriles hujus anni; quorum ſaevitiam et ipſe expertus ſum in brachio dextro per alteram febrium vernarum, iſtius modi tumore comitatam (§. 98.) qui bis diſcuſſus tertio recruduit, ac demum aegerrime ſuppuratus, arte potius elaborante pus, quam natura, quando citra idoneas injectiones non pus, (quale ſuapte natura per diem tantum fluxit poſt primam tumoris inciſionem, idque tenue et paucum) ſed merus effluebat humor lymphaticus, conniventibus brevi labiis aperturae, quater inſtitutae. Cujus praeſentiam itidem arguebant tendines muſcu-

muſculorum aegre ſub axilla tumentes et glandulae ab illa usque ad flexuram cubiti pasſim ſub cute extuberantes atque dolentes.

§. 122.

Non tantum vero parotides, conſtitutionum febrilium comites, quotannis variant pro natura illarum (§. 121.), ſed etiam dyſſenteriae nimirum dyſſenteriae nautarum ſequi ſolent dies feſtas, quas longa praecedunt jejunia, praeſertim vero paſchales. Hinc dubium nullum eſt, quin multum conferat illis carnis et pinguium, per jejunium deſuetorum, uſus majuſculus et copioſior potus, feſtae hilaritatis conciliator. Quorum pinguia laxandis inteſtinis fluxuique alvino ſolicitando per bilem, a ſe auctam, apta ſunt: potus vero inflammando ventriculum et inteſtina (§. 59.) provocat eo febrim, quam modificatur ingenium conſtitutionis praeſentis, temperamentum aegrorum et ſtatus viſcerum praevius; ſic anno 1730. dyſſenteriae frequentes et vehe-

mentes fuerunt diebus paſchalibus, aemulae ſcilicet febrium tum abſtinentium (§. 81. et no. 1.). Contra vero anno 1731 remiſſiores et rariores, ſi tormina ſcorbutica, ſaepe cum diarrhoea juncta, excepiſſes, quae frequentiora erant, levi febricula comitata, graſſante tum longe lateque febri intermittente, pleuritide ſpuria et ſcorbuto (§. 88. - 90.) Aeque propemodum rarae et remiſſae fuerunt ſuperiori anno, quod levis diebus dictis praevalebat febris, item pleuritis ſpuria et ſcorbutus, frequentes quidem ſed minus vehementes (§. 92. -- 94.). Sic etiam dyſſenteriae hoc anno aemulatae ſunt febres diebus paschalibus graſſatas, id eſt, ſatis frequentes et graves fuerunt ad modum febrium illarum (§. 99.).

§. 123.

Sed quamvis febres ſingulorum annorum inter ſe variaverint, ut liquet ex iis, quae paulo ſupra dixi (§. 121. 122.), item ex hiſtoria febrium (§. 81. -- 102.), atque etiam ex alia illarum differentia, per

per autopſiam duntaxat cognoſcenda, tamen omnes communes quasdam habuerunt notas: nempe omnes pomeridie plus minus exacerbatae ſupra mediam noctem, qua vergente indiem remittebat, ſive fuerint inflammatoriae, ſive ſimplices: item omnes ſudore et ſcreatu ſolutae. Quod vero ardentiſſima quarto conſtitutionis vernae anni 1731 curriculo graſſata etiam haemorrhagiis et ſputo cruento ſolveretur, illud proveniebat ex nimio ejus fervore (§. 87. et no. 1.). Praeterea pleraeque purpura vel, quae illa rarior eſt, ſcabie notatae ut plurimum ſub declinatione; quorum omnium exempla petantur ex hiſtoria conſtitutionum (§. 81. -102.).

§. 124.

Longe propinquior convenientia exſtitit inter febres diverſas cuiuſque anni, quam inter illas diverſorum (§. 123.): etſi enim quaelibet ab alia, vel ſocia ſibi, vel praevia, vel ſuccedente, diverſa apparuerit, nihilominus peculiares quas-

uam praeſe tulit affectiones, aliis quoque jeusdem anni febribus proximis inhaerentes, quamlibet aliae inflammatoriae, aliae ſimplices eſſent. Argumento ſint conſtitutiones ſupra dictae (§. 81. 102.) maxime vero verna anni 1731. in qua diverſae febres, imo, ut latius dicam, diverſi morbi inter ſe conveniebant ſibique invicem aſſimilabantur per communia illa totius conſtitutionis ſymptomata, aliquoties commemorata. (§. 84. - 90.). Accedit huc qualiscunque febrium et morborum chronicorum communicatio, quot annis peculiaris, conveniens communioni febrium, quae ſedatis febribus evaneſcit.

§. 125.

Igitur perquam veroſimile videtur febres acutas unius cujusque anni, ſibi invicem proximas, tam ſimplices, quam inflammatorias inter ſe convenire (§. 124.) per conſtitutionem aeris, nomenque ſortire primo ex praeſentia, vel abſentia inflammationis, ſecundo ex parte inflammata; atque praecipuam illarum diffe-

ren-

rentiam conſiſtere in ſervore partis ſanguinis rubicundae, conſiſtentia lymphae, acrimonia ſeri et bilis, et praevio viſcerum ſtatu. Fervorem partis rubicundae colligimus ex calore febrili, qui debetur oleoſis illius partibus per majorem attritum et diſolutionem evolutis (§. 35. no. 1. §. 47. no. 1.); conſiſtentiam vero lymphae variam ex praeſentia vel abſentia cruſtae inflammatoriae, item ex varia illius craſſitudine (§. 114. 105. 111.). Argumento ſeri acris ſit illud, quod in ſimplici catarrho ſcaturit ex naribus atque faucibus, ſemper acre; quale etiam in febribus esſe nihil vetat, quando et ſingulae illarum plus minus de catarrho participant, teſte nocturna exacerbatione, diuturna remiſſione, gravedine aliqua, ardore faucium, ſputo, gravamine capitis atque id genus aliis (§, 81.-- 102.). Sic et bilem eſſe plus minus acrem ſub febribus cognoſcitur, cum ex analogia illarum et morborum chronicorum, ex bile oriundorum, tum ex aliis rationibus hic loci non memorandis. Statum quoque viſcerum praevium ſymbolam con-

 ferre

ferre ſpeciali febrium indoli patet ex eo, quod una eademque febris aliis ſit ſimplex, aliis inflammatoria, varia in variis viſcera inceſſens (§. 81. -- 102.) Quibus omnibus merito annumeranda eſt diſpoſitio corporum; vel apta ſuſcipiendae febri, vel inepta; unde incolarum unius civitatis alii manent illaceſſiti ab eadem febri, late ſerpente; alii corripiuntur vel vehementius vel remiſſius, quisque pro dispoſitione corporis ſui (§. citat.).

§. 126.

In quonam conſiſtat conſtitutio aëris febres gignens (§. 125.) abſolute decerni nequit. Ex variis vero temporum articulis, in quibus febres graſſantur, inter ſe collatis, aliquo modo conjicitur. Solenniter autem febres graſſantur tempore frigido et humido, calore ſubinde alterato, ac in primis verno (§. 81. 102.), quod prae caeteris totius anni eſt calidum, frigidum & humidum. Ex quibus ac ſimul ex cruſta ſanguinis inflammatoria crebra febrium nota (§. 105. 112.), item ex ipſo ca-

calore febrili patet multum conferre generationi febrium calorem et frigus, obſecundante diſpoſitione corporum (§. 125.), quae qualis ſit verno tempore paucis diſquiram, qua cognita etiam illa per analogiam innoteſcit, quae reliquo tempore idoneo ſit febribus ſuſcipiendis.

§. 127.

Verna corporum diſpoſitio (§. 126.) ſive, ut latius dicam, conſtitutio eſt liquida et orgasmodes quaedam fluidorum alteratio, et ſolidorum elaſtica relaxatio cum grato quodam ſenſu, remittente iſtorum rigiditate atque illorum ſpiſſitudine, quas ſecum ducere ſuevit frigidum et ſiccum hyemis frigus (§. 42. 44.), quo et terra conſtricta vel nulla vel perquam pauca emittit effluvia. Hujusmodi vero conſtitutionem abunde probat et illuſtrat cum univerſa rerum natura, interea temporis revireſcens, tum maxime animalium turgens quaſique exhilarata, unde vernantes illorum congresſus, ovaria turgida, foecunditas, propagatio

generis atque id genus alia. Namque vernante coelo per radios ſolis appropinquantis et effluvia ſalino-ſulphurea elevata ex terra, paulatim laxata, ſanguis, lympha et reliqui humores rarefiunt, liquantur et incaleſcunt (§. 35. no. 1. §. 37. no. 1.), evolvuntur liberius ex illis particulae ſalino-ſulphureae (§. 51.), et ſpiritus uberius generantur (§. 35. no. 1.). Quin etiam ſolida relaxantur et grato quodam ſenſu reficiuntur (§. 51.), elatere illorum per meantes humores turgentes vel aucto, vel certe non remiſſo (§. 35. no. 6. 7. 9. 10.). Atque haec ſunt commoda veris, quae, qualecunque illud fuerit, plus minus ſuccedunt, quem ad modum docent exempla allata.

§. 128.

Incommoda autem veris ſeu morboſa corporum diſpoſitio (§. 127. 126.) provenit ex eo, quod illud prae caeteris anni temporibus ſit una calidum, frigidum et humidum, quamvis cetera ſeorſim exiſtant vel frigidiora, ut hiems, vel calidiora, ut aeſtas, vel hu-

humidiora, ut autumnus. Calorem quidem parit ſol appropinquans et potentius irradians; frigus vero comites hyemis nives, in editioribus ac ſylveſtribus locis perſtantes, quarum pars in humilioribus et ſoli patentibus ſoluta, item pluvia, ubi nives deficiunt, interea cadens, vagantur in ſuperficie terrae atque humiditatem gignunt. Quod terra, ſatura adhuc humiditate autumni ac plus minus frigore hyberno ſtricta, (imo ſub frigidiore climate congelata; ſane hic loci et plerisque in aliis Ruſſiae ultra ulnam congelatur), parum de illa imbibat. Quo fit ut aër diverſis illis qualitatibus ac ſimul effluviis ſalino-ſulphureis imbutus varie alterat corpora. Quatenus quidem radiis ſolis et particulis ſalino-ſulphureis foecundatus praeſtat enumerata paragrapho praecedente commoda, allatis effluviis utriusque generis in ſanguinem, partim per habitum corporum, partim per os et gulam (§. 54. 35. no. 3. 4.); ſimul etiam divertit humores ex viſceribus in habitum corporum (§. 45. 41. 37. no. 1.). Quatenus vero frigidus ſtringit ſubito

 cu-

cutim et partes illi ſubjectas (§. 44.) per acutiorem ſenſum, qualis esſe ſolet verni et autumnalis frigoris, item aeſtivi ſubiti, quod per ſe leve majorem comparate horrorem et acutiorem ſenſum imprimit per illum caloris praeſentem, ſubito ſuffocatum (§. 50.), quam hybernum. Porro idem aër, quatenus nempe frigidus, ſpisſat humores, cohibita ſimul transpiratione, cum per ſpisſitudinem materiae transpirationis, tum per conſtrictionem cutis (§. 54.). Accedit huc, quod varii per hyemem colligantur ſenſim humores in corporibus (§. 44. 54. 64.). Qui adeo hinc inde ſtagnantes ac per orgaſmum vernum incalescentes (§. 127.) varias ſubeant mutationes pro mixtione partium, ex quibus conſtant (§. 125. 64.). Unde repullulant variae febris vernae (§. 126.), quales etiam aliis anni temporibus emergunt, ſi pariter conditiones hactenus memoratae in corporibus generentur (per citata).

§. 129.

Num ſolae illae aëris et corporis hu-

humani conditiones varie alteratae (§. 125. -- 128.) producant febres acutas, an etiam aliae quaedam aëris concurrant occultae, vel coeleſtes, vel ſubterraneae, item corporis ſubtiles pernicoſae, non eſt praeſentis inſtituti diſquirere. Proinde ſufficit allegatas cauſas (§. citat.) concordare tam cum ratione, quam cum experientia, quibus, ſi quae ſuperſunt a me intactae, nequaquam contrariabuntur.

Caput VIII.
de
Crudis pulmonum tuberculis pleuritidis aemulis.

§. 130.

Tubercula pulmonum duplicis ſunt generis, alia dura ex materia calculoſa, quam continent, alia molliora; eaque vel pure vel muco craſſo referta. Quorum omnium una eſt origo, materia ſcilicet mucoſa ſeu ſymphatica ſpisſa (§. 67.), pau-

paulatim collecta per varias cauſas, ac mora vel indureſcens, aquoſa et aliqua gelatinoſa portione, quatenus ſoluta et liquata, aliorſum amandata per lymphatica, nec dum obſtructa (§. 76. 67.); vel in pus degenerans una cum portione rubicunda, ſecum interea ſtagnante; vel muceſcens et proxima ſiens puri; tametſi poſtremo, prolongata vita, etiam haec in pus convertitur, ſtagnante paulatim portione rubicunda puri generando idonea (§. 121.). Atque haec aliquando tantum non cernimus in unis cadaveribus, quae omnigena gerunt tubercula (§. 26.). Porro dum materia illa matureſcit, id eſt, vel ſuppuratur, vel proxime aſſimilatur puri, fit acris, particulis ex quibus conſtat, varie per nativum calorem (§. 35. no. 3.) alteratis; corrodit partes ſe continentes, (quae aliquando peculiaris ſunt folliculus) viamque ſibi parit ad bronchia: excitat interea in univerſo corpore calorem hecticum, abſorpta aliqua ex parte per vaſcula corroſa in maſſam ſanguineam; item dolorem in pectore varium, corroſionis partium et acrimoniae, vicinas quas-

quasque irritatis, pediſequum. Qui dolor, ſi intendatur per majorem partium rupturam, irritationem et tenſionem, inchoatas nempe a corroſione, et auctas ob inflammationem, ſuccenſo interea calore hectico, aemulatur pleuritidem. Inflammatio vero provenit partim ex humore ſenſim matureſcente et incaleſcente, partim a portione ſanguinis rubicunda, interea appellente (§. 36. no. 6. §. 67.) et ſubſiſtente, quae continuo ex natura ſua incaleſcit, experientia teſte.

§. 131.

Subtribunus quidam, exterus, quinquagenario proximus, robuſtus et venere ac vino pro robore corporis utens, incidit in largiſſimam haemoptyſim, quam unice imputabat crebris clamoribus ad raucedinem usque intentis, quos excercendo copias edebat, cum adhuc esſet major, quo in ordine diu manſit ac primum haemoptyſim pasſus eſt. Primam ſanguinis eruptionem Rigae ſuſtinuit, biennio antequam huc venisſet, quam libras

poe-

poene exceſſisſe, nec non ſequentes, quas ibi per intervalla pasſus, copioſisſimas fuiſſe ajebat. Hic loci macilentus et phthiſicus per annum vixit, ſaepe interea temporis ſanguine puro impetuoſe et copioſe ex ſputo, quem ſingulis vicibus ſequebatur acutus lateris ſiniſtri dolor atque exaſperatio febris; quarum ille obtuſus alias erat; haec hectica ſub larva intermittentis anomalae ludens de more, quem hic hectica tenet. Porro ſingulas eruptiones excipiebat nova et copioſa phlegmata purulenta cum grumis ſanguinis, quoad totus aeger conſumtus ſupremum obiit diem.

§. 132.

Capitaneus claſſicus, vir quadragenarius, macilentus et iracundus, alias temperatisſime vivens, ex modico vini potu incaleſcit. Quotidie ferme poſt paſtum ſentit phlogoſim quandam in genis, volis manuum et plantis pedum; nec non exſpuit in primis mane copioſum phlegma, ut plurimum limpidum et mo-

modice tenax, quod ſucceſſisſe ait variolis per refrigerationem corporis, quas decimo ſeptimo aetatis anno ſuſtinuit. Ante tiennium rarius dolebat pectore atque dyspnoea gravabatur, nunc ſaepius, praeſertim verno tempore nubilo. Crebris olim haemorrhagiis narium obnoxius, familiae ſuae haereditariis, ut ait, quae deſierunt paulo poſt matrimonium initum, in quo triennium vixit ſanus; dein vero incidit in largam haemoptyſim brevi poſt magnos clamores et metum naufragii. Quae inde ab illo tempore (duodecim ſunt anni), ſingulis annis aliquoties recrudeſcit, nulla ex manifeſta cauſa. Primum percipit per aliquot dies gravamen quoddam in pectore rodens, deinde forte titillationem in gutture, quam é veſtigio ſequitur larga per os eruptio ſanguinis puri, ſubortis mox dolore pectoris rodente, ſubinde lancinante, inſtar pleuritici, ac paulo poſt febri. Sanguinem brevi excipit magna copia phlegmatis purulenti, quod una cum ordinario per tuſſim expuitur, at non ſimul atque ſemel, ut ſanguis, qui plenis faucibus ejicitur.

1.)

1.) Porro primis invaſionis diebus frequentes cum phlegmate purulento (§. 132.) exeunt grumi ſanguinis, qui paulatim diminuti deſinunt in ſtrias ſanguineas, quae tamen, uti quoque grumi, annexae potius phlegmati, quam mixtae viſuntur.

2.) Sanguinis primam eruptionem (§. 132.) adhuc aliquot proxime ſequuntur, interdum uno vel altero die interdum pluribus interjectis inter ſingulas eruptiones. In prima ſanguis libratim effunditur, in ſequentibus unciatim, quamvis et has aliquoties pleniores viderim, quam illam. Cum ſingulis autem et phlegma purulentum et caetera renovantur ſymptomata atque etiam febris recrudeſcit (§. citat.) cum aliqua vaſorum, (quae ampla ſunt), plenitudine et duritie pulſus, qui in prima invaſione major et durior eſt, reſpondente ipſi identidem febri, quae a meridie intenditur duratque ad medium usque noctem. Quo tempore utrumque conquieſcit phlegma, manente ſicca tuſſi, quae demum cum febri remittit, ſuccedente inquieto ſomno,

quo

quo circa diluculum finito rurſus incipit tuſſis primum ſicca et vehemens, deinde levior et utraque phlegmati comitata. Sudores quoque nocturni vel totius corporis vel tantum frontis, manuum et pedum interea manant. Phlogoſis per intervalla incandeſcit. Urina ruſa, alvus ordinaria, vires labaſcunt.

3.) Quando morbus bene decurrit, febris poſt aliquot dies miteſcit. Grumi ſanguinis cujusque eruptionis(no. 1. 2.) intra paucos dies deſinunt. Phlegma purulentum menſtruo circiter ſpatio finitur, quocum et febris evaneſcit, redeunte priſtina valetudine (§. 132.), quemadmodum aliquoties aegro evenit ſub mea cura.

4.) Quod ſi morbus prolongatur, phlegma purulentum evadit craſſius et magis flavum, dolor pectoris, dyspnoea et tuſſis creſcit, febris langueſcit et conturbatur, ſive fit hectica (§. 132. et no. 1. 2.), aemula ſaepe intermittentis anomalae(§. 131.), cujus paroxysmum prae-

cedit, aliquando anxietas quaedam, quandoque modicus horror, ac notabile frigus extremorum, quae, ut etiam frons ſubinde frigent, reliquo corpore ſupra ſolitum calente. Phlogoſis remiſſa ſaepe redit. Sudores frequentes manant, qui ſemper pingues et ſaepe frigidi. Alvus ut plurimum ordinaria, quandoque tantillum adſtricta, rariſſime ſolito laxior. Urina nunc naturalis, nunc rufa, nunc pallida, nunc prorſus lateritia, qualem ſuperiore anno primum in aegro iſto vidi. Adhaec facies ſubflava, lurida et corrugata; palpebrae livent, oculi cavantur, naſus acuitur, frons corrugatur, collapſis temporibus. Caro totius corporis molleſcit et contabeſcit. Vires concidunt, ingruentibus quandoque deliquiis animi. Ventriculus dolet cibumque commeſtum ſaepe rejicit, manente appetitu, ut plurimum vegetiore, quam fert conſtitutio aegri, quandoque pauxillum languente, cui reſpondet conditio linguae, quae ſemper naturalis, id eſt, modice rubens ac ſaliva fluida irrigua.

5.) Bis

5.) Bis autem ſub mea cura ita affectus (no. 4.) et diu vexatus eſt vir memoratus: anno 1731 inchoante autumno correptus multiplici ſanguinis ſputo (§. 132. et no. 1, 2.); vix tandem convaluit ſub exitu februarii; ſuperiori vero inde a julio menſe aeger ex ſimili ſanguinisſputo, (quod octies rediit intra duos menſes) tabidus et morti vicinus toto reliquo tempore perſeveravit, ac denique ineunte hoc anno convaluit inopinato et cito, niſi quod frequentes adhuc reliquias phlegmatis purulenti (no. 1), una cum ordinario ex ſpuebat, perinde atque anno ſuperiori; quae paulatim diminutae quidem ſunt, ſed non deſierunt, cum antea in univerſum poene deſinerent.

6.) Superiori itemque hoc anno aliquoties excſreavit portionem quandam texti pulmonalis, judice ſenſu, item materiam mere tophaceam ſeu calculoſam, nunc hordeum, nunc lentem mole aequantem, tantillo phlegmatis purulenti, quandoque etiam cruore illitam, ex quibus aqua abluta apparet alba et friabilis.

Exitum ejus praecedit per aliquot dies acutus et rodens lateris dextri dolor proxime infra mammam, qui deinde ductim porrigitur in medium pectus, indeque recta in guttur, gradatim quaſi infixus tractui, per quem ſerpit, ac denique ex gutture ſcreatu ejicitur materia dicta, ſerociente interea temporis tuſſi, et nuper colica atque vomitu. Iam inde ab anno ſuperiori decumbere nequit in latere iſto propter dolorem et dyſpnoeam, imminente cum illis deliquio animi ſuffocativo; quae incommoda antehac ſentiebantur quidem, ſed cubitum eo in latere non impediebant.

7.) Vir ille vivit nunc valetudinarius, phlogoſim ſaepe percipiens ac tempeſtate nubila pectore dolens, ingraveſcente de more dyſpnoea et debilitate (§. 132.). Praeeſt interim muniis ſuis ac ſatis commode exequitur; ut pote qui longe felicius exegerit hunc annum, quam tres priores, ſiquidem quinquies tantum exſpuit ſanguinem, duabus forte vicibus non amplius uncia, reliquis grumos aliquot, ſe-

ſequente ſingulas excretiones modico comparate dolore, phlegmate purulento et febri (§. 132. et no. 1, 2.), quae brevi evanuerunt. Utrum id provenerit ex phlebotomia, opportune ineunte vere inſtituta, ac deinceps ſingulis menſibus parce repetita, an ex peculiari conſtitutione äeris, decernere non auſim. Proinde eventui relinquo, quatenus conſtitutum eſt continuare ſectionem venae menſtruam.

§. 133.

In utroque aegrorum quoties novus ſanguis copioſior erupit, renovatis dolore pectoris et febri (§. 131, 132.), toties parca manu ſanguis e vena misſus eſt, in quo ſemper conſpexi cruſtam inflammatoriam, quae in ſanguine primi erat mollis et tenera, quaſi gelatina ex oryza excocta. Talem ſaepe vidi in ſanguine phthiſicorum, in quibus parca phlebotomia inſtituta eſt ob vehementem quandam cauſam, potisſimum vero ob ſu pervenientem pleuritidem, ſeu dolo-

rem pectoris, alias obtuſum, ſubito exacutum et febrim hecticam ſuccenſam; in ſanguine vero primi cruſta ſemper viſa eſt tenax et glutinoſa, qualis esſe ſolet in ſanguine pleuriticorum, vel alia febri inflammatoria (§. 105.--110.) correptorum, ſed alias ſanorum.

§. 134.

Curationem in ſecundo aegro (§. 132.) exorſus ſum a phlebotomia, accommodata magnitudini pulſus et quantitati ſanguinis effuſi; ubi ex illa magnitudinem febris, ex hac capacitatem vaſorum ruptorum quodammodo conjiciebam. Phlebotomiae ſubjunxi exterius emplaſtrum de Laudano, et aliquando linimentum ex unguento de Alth: ol: Laurin: Amygd: dulc: et ſperm: Ceti, parti nempe dolenti applicatum, impoſito ſacculo paregorico: interius vero pulverem ex C. Cerv: philoſoph: Bol: armen: rad: Irid: Tormentill: Nitr: et Tart: depurat: quem ter aut quater in die ſumebat ad drachm. dimid: hauſto deſuper Julapio ex aqua Meliſſ: Veron: fl:

fl: Roſar: ſiccat: Aquileg: ſyr: Acetos: extr: Tormentill: vel Chamomill: et modico Laud: liquid: S. et Spir: Nitr: dulc: ; item linctum promovendo phlegmati purulento et minuendo dolori deſtinatum ex ſyr: Heder: terreſt: ſucc: Liquirit: ol: Amygdal: dulc: et ſperm: Ceti, cujus modicam quantitatem pro lubitu ſumebat. Decoctum pro potu ordinario praeſcripſi ex rad: Bardan: Petaſit: Jrid: flor: Alth: Foenic: Tormentill: herb: Heder: terreſtr: Cherefol: Veron: Betonic: fl: Roſar: rubr: et Aquilegiæ: quibus poſt aliquot dies, mitigata plus minus febri, addidi pill: compoſitas de extr: Enul: Heder: terreſtr: Veron: Chaerefol: Chamomill: Liquirit: ſangu: Dracon: Styrac: liquid: et pauxillo Maſſæ Pil. de Cynogloſſ: quae miſcebantur cum terra Catechu, qua ex maſſa ſumebat ſingulis noctibus circa horam ix. gr: xx.

1.) Secundo et tertio recrudeſcente haemoptyſi (§. 132. nro. 2.) toties ſanguis parcius, quam prima vice detrahebatur ex brachio vel pede, deinde

 de

de, ſi etiam rediret, omittebatur, quia ut plurimum et illa parcior erat, et ſanguinis in aegro quantitas diminuta per haemoptyſes et venae ſectiones praevias metum majoris eruptionis non intendebat, niſi per nova tubercula, ſi forte quaedam, maturationi proxima, haererent circa vaſa majora: quæ tamen, quia praevideri non poterant, cautionem, alioqui noxiam, non poſcebant.

2.) Imo ne quidem cautio profuerit ſub ea conditione (nro. 1.), uti non ita pridem evenit egregio cuidam Capitaneo, qui ex pravo ſalivationis exitu aſthmaticus inde ab aliquot annis, repente vertigine correptus exſpuebat magnam copiam ſanguinis et puris ſpiſſi et foetidi, ſub quibus examinatus concidit, licet interea vena pertusa ſit a chirurgo, qui forte praeſens erat. E contrario qui ex tuberculis pulmonum circa vaſa minuscula ruptis aliquantum ſanguinis et phlegmatis purulenti exſpuebant, leviter febrientes ac pectore dolentes; illi parva ſanguinis miſſione, pulv:

pulv: temperante et decocto pectorali ex uſu cujusque praeſcriptis, brevi convaleſcebant; quales duos nuper ac plures antea tractavi extra noſocomium. Quotquot vero gregariorum in noſocomio tractavi, ſanguinem ex tuberculis pulmonum ruptis ſpuentes, omnes ſerius ocyus phtiſici interierunt. (§. 1. nro. 4.)

3.) Caeterum mitigatis febri et dolore pectoris in ſecundo aegro pulv: et julapium, item externa (§. 134.) omiſi, caetera pauxillum mutavi, ac primo pillulis (§. citat.) adidi balſ: de Peru, Myrrh: gum: Elem: flor: Benzoes: decoctum vero praeſcripſi ex radice Enul. Foenic: Oxylapath: Chin: Sarſaparill: Polypod:, raſur: lign: Saſſafras, herb: Veron: Agrimon: Heder: terreſtr. Meliſſ. Marub: alb: flor: Hyperic: Roſar: rubr: ſem: Aniſ: et Cinamom: Porro linctum ex melle Roſarum, ſyr: Haeder: terreſtr: pulv: rad: Irid: flor: et ſem: Aniſi, interpoſito per intervalla laxante ex ſyrup: de Cichor: c. Rh: vel de Manna ſolutivo.

 4.) Pro-

4.) Prolongato autem morbo, (§. 132. nro. 4.) forma potius, quam materia, medicamenta mutavi, quo impatienti aegro ſatis facerem. Emulſiones ſeminum, lac atque id genus alia, flagitanti aegro, quod antea uſus utiliter illis fuiſſet, rariſſime conceſſi; quoniam ſemel bisve conceſſa male cedere obſervavi, quod et ventriculum debilem maleque digerentem, (§. cit.) gravarent muco et flatibus, et phlegma purulentem, (§. citat: nro: 1.) ſpisſarent, in cujus expectoratione et cohibitione proventus unice ſpes ſalutis, jam deſperatae verſabatur.

5.) Debilitati ventriculi (§. 132.) opponebam eſſ: Carminat: Wed: Pimp: Gent: flaved: cort: Citri exceptis. Quin etiam deliquiis (§. citat.) eadem adhibebam, diluta aqua Menth: Cinamom: fl: Lilior: convall: quibus adhuc addebam extr: Theriac: Card: bened: Sal. valatil: Succin. cum gutt: 1. ol: Caryophyll: et ſyr: de ſucco Limon:

§. 135.

§. 135.

At quamvis aeger ſub uſu medicaminum narratorum, (§. 134. et nro. 3. 4. 5.) bis a faucibus mortis ereptus ſit (§. 132. nro. 5.) tamen id adjudicare nequeo medicaminibus ſed potius bonae aegri naturae , temperatae dietae , (§. 132.) virtuti medicaminum et conſtitutioni äeris , qui multum videtur contuliſſe : quod colligo ex congruentia temporum anni diverſi, in quibus aeger convaluit , (§. 132. nro. 5.) vernante jam äere ac maſſa ſanguinea per eum turgeſcente. (§. 127.) potiſſimum vero conjecturam auget , cita valetudinis recuperatio , quippe quae tam ſuperiori quam hoc anno , intra octo ferme dies ſucceſſit, ſeu ex peſſima ac jam deplorata (132. nro. 5.) eousque in bonam diverſa, ut aeger lectum relinqueret ; vigente tum tempeſtate tepida ac propemodum verna in comparatione frigidiſſimae et nivoſae, quae praeceſſit , praeſertim vero hoc anno.

§. 136.

§. 136.

Primam omnium eruptionem ſanguinis in utroque aegrorum proveniſſe a violenta vaſorum pulmonalium ruptura ex vehementibus clamoribus, (§. 131. 132.) ſumme probabile eſt. Poſteras vero recruduiſſe ex tuberculis pulmonum, (quae a prima contracta et tempore ita radicata ſint, ut ruptis nova ſuccederent) paulatim maturatis et ruptis, adeo id perſpicuum reddunt enarrata in utroque aegro ſymptomata, (§. 131. 132. et nro. 1 - 7 et §. 130.) ut ratiociniis non indigeat. Similiter ſymptomata illa pluribus explicare ſupervacaneum eſt cum ipſa ſe ſe delucide explicent: nempe corroſis ex materia purulenta ſubſtantia pulmonum continente et vaſculis ſanguineis illi intextis, (§. 130.) primum per bronchia exibat ſanguis fluidus (§. 35. nro. 7. 6.) talis ferme, qualis ex vaſculis effundebatur, quod poſtquam effuſus moram in pulmonibus non traxerit. Materia vero purulenta veluti maſſa tenax et ſpiſſa aegre aſcenſum moliebatur un-

unde per tuſſim, (§. 131, 132. nro. 1, 2.) quam mole et acrimonia ſua excitabat (§. 35. nro. 9.) ſequebatur ſanguinem cum eaque grumi et ſtriae ſanguineae, (§. 132. nro. 1.) id eſt portiones ſanguinis partim effuſi et mora coagulati, (§. 35. nro. 2.) quales erant grumi; partim interea emanantis ex aliquot vaſculis, quales eſſe videbantur ſtriae. Dyspnoea pendebat ex infarctu pulmonum; obtuſus pectoris dolor ex lenta pulmonum ulceratione; acumen doloris ſubitum ex ruptura et inflammatione. Febris denique oriebatur partim ex inflammatione, partim ex materia purulenta reſorpta per vaſa corroſa in ſanguinem, (§. 131. 132. 130.); quem, lenteſcente inflammatione ac ſimul febri ex inflammatione, pro indole ſua ſuccendebat, unde lentus ille clandeſtinus igniculus ſive febris hectica qua veluti perenni fomite conſumpta paulatim pinguedo et caro deſinebat in ſudores, (§. 131. 132.); quoad in ſecundo aegro, mundata et ſolidata ulceratione, priſtina ſanitas redibat; (§.

(§. 132. nro. 3. 5.) in primo, ſerpente ulceratione; febri et conſumtione totius corporis, ſuccedebat mors. (§. 131.) Caeterum calculi, quos aliquoties ſecundus exſcreavit aeger (§. 132. nro. 6.) conflati ſunt ex materia mucoſa, tractu temporis indurata. (§. 130.)

§. 137.

Plura adhuc exempla tuberculorum pulmonalium novi, magna ex parte ſimilia enarratis, (§. 131. 132. et nro. 1.-4.) quae ſingulatim referre non operae pretium duxi, quatenus duo illa, ut uniformia ac diu per vices perſpecta, et multis aliis adaequantur, et naturam ſuam manifeſte produnt ſeu veritatem exhibent nudam, quae in caſibus ſemel obſervatis non ita illuceſcit: ſiquidem non multitudo obſervationum, ſed ſimilitudo iterata atque diſtincte cognita veritatem parit, quae ratione condita evadit decretum, theoriam et praxim rerum homogenearum complectens.

FINIS.

ERRATA.

Praef. p. 10. l. 9. leg. inſurrexit. Libr. p. 12. l. 24 adde tumore ante musculorum. p. 36. l. 1. leg. Scorbuticus. p. 53. l. 4. pericardium leg. perioſtium. p. 65. l. 24. leg. internatum. p. 82. l. 22. cujus leg. cuique. p. 108. l. 11. relatione leg. relaxatione. p. 115. l. 7. leg. ater. p. 221. l. 5. leg. amni. p. 231. l. 1. leg. alias tales. p. 290. l. 25. aucta, leg. acuta. p. 302. l. 18. leg. aeſtate. p. 308. l. 25. leg. unum fervidum. p. 329. l. 17. leg. numerus. p. 343. l. 8. del. minus, & leg. ſit coagulata & non ſatis &c. p. 357. l. 17. leg. acutam p. 358. l. 2. leg. obtinentium. p. 361. l. 18. leg. diurna. p. 370. l. 1. add. X. ante poene.